De Vergilio
Apollonii Rhodii imitatore.

Commentatio Philologa

quam

consensu et auctoritate

Amplissimi Philosophorum Ordinis

in

Alma Litterarum Universitate Friburgensi
Helvetiorum

ad

summos in philosophia honores

rite consequendos

scripsit

Conradus Conrardy
Luxemburgensis.

Monasterii MDCCCCIV.
Typis Westphali.

De Vergilio
Apollonii Rhodii imitatore.

Commentatio Philologa

quam

consensu et auctoritate

Amplissimi Philosophorum Ordinis

in

Alma Litterarum Universitate Friburgensi Helvetiorum

ad

summos in philosophia honores

rite consequendos

scripsit

Conradus Conrardy

Luxemburgensis.

Monasterii MDCCCCIV.

Typis Westphali.

Iosephi Iessing

Viri Reverendissimi Clarissimi

Collegii Iosephini

Columbi Ohio

Fundatoris atque primi Rectoris

Piae Memoriae.

A Graecis litterarum lumen accepisse Romanos inter omnes constat. Etenim ex Graecis iam primi Romanorum poetae fabulas atque epica carmina transtulerunt; ad Graecorum exempla se converterunt qui primi orationis elegantiae et venustati studebant. Quae res, tot exemplis contestata, notior est quam ut plura de ea dicam. Neque postea, quamquam excultus iam erat sermo Romanus, Graeca exprimere latine, cum Graecis certare ornatu, eorum inventa sua facere scriptores destiterunt summi.

Inter quos, ut ceteros omittam, habes ipsum Vergilium. Qui communem secutus morem totum fere se ad Graecos in suis carminibus applicuit. Itaque in Aeneide pauci sunt mores, vix ullum factum notabilius, vix locus aliquis praestantior, in quo non aliqua ratione poetarum Graecorum, imprimis Homeri, vestigia agnoscas.

Tamen hanc apud Vergilium Graecorum imitationem cave putes ingenio carere atque iudicio; non is est poeta qui servi ut ita dicam imitatoris reprehensionem subeat quasi in exemplaris Graeci verbis et figuris vertendis omnes ingenii vires ponens, sed ubi occurrit aliquid a Graecis ingeniose cogitatum, id plerumque ita imitatus est vel in domesticum sermonem vertit ut proprii ingenii vim servaret integram. Nec facile, si quis singula recognoscat, negabit non uno loco, etiam ubi presse sequitur Graecos, modo maiore elegantia atque novo rerum ornatu, modo optime deducta ad aliud rerum genus sententia vel oratione cum illis Vergilium certare.

De Vergilio poetarum Graecorum imitatore quamquam multae adhuc scriptae sunt commentationes, inter alia id restat ut separatim atque uberius inquiratur, quantum ei ad Aeneidem conficiendam profuerint Apollonii Rhodii Argonautic , vel ut aliter dicam, quid Aeneidi deesset, si Apollonium non habuisset Vergilius quem imitaretur.

Atque dignam esse quaestionem, in quam diligentius inquiratur, ut intellegas, quae de illa adhuc scripta sunt paucis in animo est enumerare. Neque tamen scio an reprehensuri me sint viri docti in eo quod eandem quam in conspectu iam posuit Mirmontius [1]) rem repetivi. De qua re cur iterum dicerem, duplicem mihi visus sum habere rationem; quarum altera eaque maior haec fuit ut, quae uberius explicavisset Mirmontius, breviter componerem atque ita ut facile percipi possent; alteram supra significavi; accedit quod e re eorum qui legerent putavi si, quae de hac quaestione scripta essent, ipsi praemitterem disputationi.

Ac primum quidem mortuo Vergilio haud diu morati sunt qui invidia ducti ei obtrectarent quod nimis secutus esset Graecos. De qua re scriptum videmus in Donati vita Vergilii: *Obtrectatores Vergilio nunquam defuerunt. Est adversus Aeneida liber Carbilii Pictoris, titulo Aeneidomastix ...; Perilius Faustinus furta eius contraxit; sunt Q. Octavii Aviti* Ὁμοιοτήτων *octo volumina, quibus annotatur quos et unde versus transtulerit.* [2])

In quibus libris certe allati erant loci quos aut aperte aut specie tantum ab Apollonii Argonauticis mutuatus est Vergilius, cum homines qui omnem iudicii laudem in vituperando poeta positum esse putent vix quidquam fugiat. — Quorum librorum ne minimum quidem superest fragmentum.

Inter eos autem quorum extant opera scriptores Romanos, quod sciam, primus A. Gellius praeter alios quos perite secutus sit Vergilius Apollonium commemorat; neque tamen quomodo eum imitatus sit dicit. [3])

Item Macrobius satis habuit adfirmare Medeae amorem in Argonauticis ad Didonem optime transtulisse poetam. [4])

---

[1]) cf. H. de la Ville de Mirmont *Apollonios de Rhodos et Virgile,* Annales de la Faculté des Lettres de Bordeaux, 1894, I.

[2]) Donati *Vita Vergilii Maronis* cap. 16.

[3]) Noct. Att. IX. 9.

[4]) Saturn. V. 17.

Servius vero in commentariis ad Vergilium scriptis praeter id quod dicit quartum Aeneidos librum ex Argonauticis translatum esse quosdam indicat locos quos ex Apollonio sumpserit Maro.

Haec fere apud veteres de hac quaestione scripta invenimus.

Saeculo p. Chr. n. XVI. Fulvius Ursinus omnes Aeneidis congessit locos quibus videretur Vergilius secutus esse aut Graecos aut Romanos; nulla tamen explicatione data alternos transscribit locos et Aeneidos et quos imitatur scriptorum.[1]) Qui Ursini liber, etsi quibus usus sit exemplaribus Vergilius docet, eo imprimis laborat vitio quod haud pauca ut imitata afferuntur quae partim speciem tantum habent similitudinis, et hanc interdum obscuram, partim ita comparata sunt ut sanus quilibet qui easdem res componat ultro iisdem utatur verbis ac figuris.

Quem secuti sunt saeculi undevicesimi initio duo Francogalliae viri docti, quorum alter Aeneidem paraphrasi inlustrat atque multos locos componit cum aliorum poetarum et veterum et recentiorum,[2]) alter non solum poetas contulit cum Vergilio, sed alios etiam qui soluta usi sunt oratione veterum scriptores.[3])

Hic potissimum adferendus esse videtur ille quem nostra aetate Woldemarus Ribbeckius maiori editioni Ottonis fratris addidit index locupletissimus, quo et locos, quos Vergilius imitatus est, et Vergilii locos, quos alii imitati sunt, amplexus est.

Eodem fere tempore quo Ursinus, Iulius Scaliger, iudicio suo fretus atque demonstrare se posse ratus, quam verum esset illud Propertii *cedite, Romani scriptores, cedite, Graii* comparationem fecit Vergilium inter et poetas Graecos.[4])

---

[1]) Vergilius collatione scriptorum graecorum illustratus, opera et industria Fulvii Ursini, Antwerpiae, ex officina Christophori Plantini, anno MDLXVIII.

[2]) Etudes sur Virgile comparé avec tous les poètes épiques et dramatiques des anciens et des modernes . . . ., par Tissot . . . . 4 voll. Paris 1826.

[3]) Etudes grecques sur Virgile . . . ., par F. G. Eichhoff, 3 voll. Paris 1825.

[4]) Iulii Caesaris Scaligeri Poetices libri septem, editio altera, apud Petrum Santandeanum, MDLXXXI; cf. librum quintum.

Qui opinione praeiudicata ductus Graecos omnes, imprimis Apollonium, Vergilio cedere dicit atque impudentem vocat qui quartum Aeneidos librum ex Apollonii Argonauticis deductum esse existimet. Memoria usus cum confuse quosdam ex Argonauticis adferat locos quos similibus Aeneidos componat, semper concludit Vergilium ut divum poetam multo praestare Apollonio *versificatori*. Contra iure dictum est non licere cuiquam duos scriptores comparaturo ad eam rem ita accedere ut alterum contemnendo deprimat, immodicis laudibus extollat alterum.

Quare haud ita multo post a Scaligero Apollonium defendit Ieremias Hoelzlinus.[1]) Qui summum poetae Alexandrini laudatorem ipsum Vergilium esse dicit: *verum*, inquit, *omnibus praestat elogiis limatissimum Maronis iudicium . . . . Neque enim Aeneis Vergiliana esset quod est, si nullus fuisset Apollonius.*[2]) Attamen, quamvis laudandus sit Hoelzlinus, quod contra falsum Scaligeri iudicium Apollonii causam agit, via ac ratione parum usus in verbis et figuris singulis haeret potius quam summam respicit operis atque partium convenientiam.

Inter viros doctos qui praeter eos quos modo commemoravi inde a Macrobio in Aeneide operam conlocarunt — excipio Mirmontium, virum Francogalliae doctissimum, de quo brevi dicam — alii nihil fere dicunt nisi quod ipse Macrobius, quartum Aeneidos librum formatum esse ex tertio Argonauticorum, alii ubi occurrit locus quem putant ab Apollonio sumptum esse, indicant.

Qua de causa ad nostra tempora restabat ut propria et exacta disputatione quaereretur, quantum contulissent Apollonii Argonautica ad conficiendam Aeneidem. Ad quam quaestionem ante hos paucos annos viam tandem aperuit Mirmontius opere illo quo deorum atque heroum fabulas ab Apollonio

---

[1]) Apollonii Rhodii Argonauticorum libri IV ab Ieremia Hoelzlino in latinum conversi . . . . . Lugd. Bat. MDCXLI.

[2]) cf. ib. Proleg. pag. 3.

traditas contulit cum Maronianis.[1]) Qui vir optime de litteris, maxime autem de Apollonio meritus de necessitudine quae inter Apollonium et Vergilium intercedit unum exposuit, cetera intacta reliquit.

Postquam aliquantum temporis in indaganda hac quaestione versatus satis multa iam congessi quibus commentatio philologa efficeretur, librum illum praestantissimum emisit Heinzius, vir doctissimus, in quo de Maronis arte epica disserens quid ut ab aliis ita ab Apollonio sumpsisset atque suum fecisset poeta persaepe attulit.[2]) Cum tamen per aequum campum, ut ita dicam, equidem progressus quam poteram accuratissime vestigia legissem, quibus Apollonium ducem secutus esset Vergilius, atque quos illo ostendente in via hic carpsisset flores indicaturus essem, Heinzius velut e sublimi specula Maronem contemplatus, dum quot atque quales ad assequendum quem petit finem poetae duces sint discernere studet, optimum quidem et cui maxime deberet ipsum illius fuisse ingenium magis magisque intellegit. Nihil mirum igitur, si haud pauca apud Heinzium commemorata vides quae ipsa in hoc libello inveniuntur; quoniam tamen non id sibi ille proposuit, ut persecutus singula de singulis ageret, me opus haud ita inutile suscepisse atque praeter magnificam quam construxit Heinzius molem etiam huic quem congessi acervo locum a viris doctis confido concessum iri.

Neque scio an alia haec futura esset commentatio, si illius poetae Romani, quem ante Vergilium Apollonii Argonautica interpretatum esse scimus, P. Varronem Atacinum dico, opus exstaret. Atque in Varronis Argonauticorum reliquiis, quas tradit Servius, duo sunt loci quorum alterum, si sententiam praetermittimus Hauptii,[3]) ad verbum transscripsisse Vergilium videmus.

---

[1]) Apollonios de Rhodes et Virgile — La mythologie et les dieux dans les Argonautiques et dans l'Enéide, par H. de la Ville de Mirmont, Paris 1894

[2]) Richard Heinze, *Virgils epische Technik,* Leipz. 1903.

[3]) M. Haupt (Hermes V. 1871): *non recte iudicaverunt viri docti de eis quae de hoc versu Servius dicit; putarunt enim haec ipsa verba esse Varronis Atacini. Quod veri est dissimillimum. propter et traiectum; immo mutavit Vergilius Varronis versum*

Georg. II. 404. (Varr. Arg. II. fragm. 3.)[1])

frigidus et silvis aquilo decussit honorem;

alter cum Aeneidos versu quodam maximam habet similitudinem:

Arg. IV. fragm. 2.

semianimesque micant oculi lucemque requirunt.

cf. Aen. X. 396.

semianimesque micant digiti ferrumque retractant.[2])

In describendo noctis silentio (Aen. IV. 522 e. q. s.) qui supersunt Varronis versus imitatum esse Maronem non dixerim. cf. huius libri cap. I. pag. 23.

Est praeterea in Varronis Ephemeride locus quem respexisse Vergilium Servius dicit.

Ephem. I.

nubes ut vellera lanae stabunt.

cf. Georg. I. 397.

tenuia nec lanae per caelum vellere ferri.

Cum igitur inter fragmenta, quamquam paucissima, quaedam imitando expressisse Vergilium constet, Atacini libros saepe exemplar fuisse iure meritoque licet conicere.

Iamvero ad rem ipsam per singula capita inlustrandam ut transeamus, optime quidem videtur disputatio procedere ita, ut primum quantum ad Didonis amorem describendum Apollonii et de Medea et de Hypsipyla narratio profuerit dicatur, deinde de comparationibus quas ex Argonauticis deprompserit Vergilius disseratur, tum quaenam intercedat necessitudo inter Maronis atque Apollonii de Harpyiis narrationem explicetur, denique sequantur Aeneidos loci singuli cum Argonauticis similitudine coniuncti.

---

[1]) ad manus mihi sunt P. Terentii Varronis Atacini reliquiae quas recensuit Alex. Riese; cf. *M. Terentii Varronis Saturarum Menippearum reliquiae,* Lps. 1865, pag. 261 e. q. s. — cf. Baehrens, *Poet. Roman. fragmenta,* Lps. 1886, pag. 332 e. q. s.

[2]) videas tamen Servium in Aen. X. 396: *Varro Atacinus versum Ennii in suum carmen transtulit;* cf. Enn. Ann. 463. – Qua de causa utrum Varronem potius secutus sit Maro an Ennium non patet.

I. Quae in Didonem ex Apollonii Medea transtulerit Vergilius.

Quaerentibus nobis quantum ad Didonis amorem describendum Apollonii de Medea narratio profuerit Vergilio, non una occurrit virorum doctorum sententia. Ac primum quidem Macrobius et Servius Didonis amorem omnino ad Medeae fictum esse dicunt. *(Vergilius) non de unius racemis vindemiam sibi fecit, sed bene in rem suam vertit quidquid ubicunque invenit imitandum adeo, ut de Argonauticorum quarto, quorum scriptor est Apollonius, librum Aeneidos suae quartum totum paene formaverit ad Didonem vel Aenean amatoriam incontinentiam Medeae circa Iasonem transferendo.*[1]) — *Apollonius Argonautica scripsit, ubi inducit amantem Medeam. Inde totus hic liber translatus est.*[2]) — Ut iudicium praetermittam cum Scaligeri, quippe cui Aeneidos liber quartus cum Argonauticorum tertio hac una re convenire videatur quod sicut Medea ita Dido hospitem amaverit, tum Hoelzlini, utpote contra Scaligerum in verbis potius haerentis, Heynius reiectis Macrobii atque Servii opinionibus Medeae amorem adeo diversum esse dicit a Didonis, ut praeter pauca, quae *passim* ipse notaverit, quod ex Medeae amore Vergilius deduxerit vix quidquam occurrat. *Si de iis partibus carminis (Aeneidos) quaeritur,* inquit, *quae Vergilio propriae sunt et ex quibus eius ingenium atque ars spectari simulque illud intellegi possit, quantum ad cuiusque poetae indolem aetas et temporum in quae incidit eius vita genius faciat, librum hunc primo loco excitandum esse arbitror.*[3]) Iam inter eos qui post Heynium fuerunt sive Vergilii sive Apollonii interpretes aut historiae litterarum scriptores, alii Macrobii iudicium suum fecerunt, alii in Heynii potius discesserunt sententiam.[4])

---

[1]) Saturn. lib. V. cap. XVII. 4.

[2]) Comment. Servii ad Aen. lib. IV. v. 1.

[3]) Proleg. ad Aen. lib. IV.

[4]) a. Guil. Teuffel *(Geschichte der römischen Litteratur)* Aeneidos librum quartum imitatione ex Apollonii lib. IV. (III.?) expressum esse dicit.

b. Eandem Macrobii sententiam accepit Richter *De Vergilio imitatore poetarum Graecorum* (Diss.), Rostock 1870.

Neque mirum hoc, cum nemo adhuc huius quaestionis singula investigaverit, neque extiterit disputatio qua controversia dirimeretur.

Quia aliam esse Didonem ac Medeam vel qui obiter Aeneidem atque Argonautica perlegerit facile intelleget, non est in animo comparationem instituere inter eas, nec Macrobii vel Servii defendere sententiam, de qua satis habeo adferre quod Schanzius dicit in historia quam scripsit de litteris Romanis, eam aperte modum egredi. Neque tamen Heynio atque qui ab eo stant, pauca ab Argonauticis mutuatum esse poetam censentibus, assentior, sed velut totam Aeneidem filis quodammodo Homericis Vergilium pertexuisse Macrobius commemorat,[1]) ita in Didonis amore narrando alio atque alio loco Argonauticorum quasi fila ab eo inserta esse dixerim atque demonstrare conabor.

Neque negaverim Vergilium in conficiendo libro quarto praeter Apollonium alios quoque et Romanorum et Graecorum

c. M. Aug. Weichert *(Ueber das Leben und Gedicht des Apollonius v. Rhodus,* Meissen 1821) multo maiorem Aeneidem habere censet similitudinem cum Argonauticis quam cum Homeri carminibus.

d. Sainte-Beuve *(Revue des deux mondes* 1845, III. pag. 873), ubi de tertio Argonauticorum libro docte et eleganter disserit, in Vergilio nos intueri dicit tamquam exemplar Apollonii.

e. I. Henry *Adversaria Vergiliana* (Philologus, XII. 1857, pag. 251): „Das Original, nach welchem Vergil bis auf die kleinsten Einzelheiten seine Dido gemalt hat, des Apollonios Medea.“

f. Otto Ribbeck *(Geschichte der römischen Dichtung* II.) inter ea quae de Didonis moribus dicta sint quaedam in memoriam revocare Medeam dicit.

g. Mirum in modum abhinc paucos annos Alfredus Rébellian, ne philologorum accuratis de Aeneide studiis Vergilii laus, quod quidem attineat ad inveniendi copiam, nimis minuta sit veritus, vix quidquam eum in describenda Didone ab aliis poetis mutuatum esse contendit. Qui Scaligeri in caelum Vergilium ferentis sententiam secutus *periit, credo,* exclamat, *aut iamiam peritura est illa Scaligero tantum celebrata Vergiliana divinitas!* Quare etiam ea quae aperte sumpta esse ex Argonauticis nemo non consentit, ille quidem omnino Vergilii esse probare studet. cf. Alfred Rébellian *De Vergilio in informandis muliebribus quae sunt in Aeneide personis inventore,* Parisiis 1892.

[1]) Saturn. V. 2.

poetas imitatum esse.[1]) Qui cum Romanorum res gestas virtutesque praedicandas sibi proposuisset, non potuit non meminisse eorum qui ante ipsum libera re publica in eodem genere litterarum elaboraverant. Atque Naevius libris quos scripsit de bello Punico narrationem de Aenea atque Didone inseruerat,[2]) qua quod inter Romanos et Carthaginienses intercessurum esset odii perpetui ratio indicaretur. Ex quo tamen carmine cum nisi frustula satis obscura atque exigua nihil ad nos pervenerit, quae inde sumpserit Vergilius, quae mutaverit, quae ipse invenerit in medio relinquamus necesse est.

Propositum cum esset Ennio Annalibus res Romanas a primordio ad sua tempora enarrare, aequum erat, ut de Aenea per maria errante atque tandem in Italiam adveniente diceret; neque tamen quidquam videtur dixisse de Aeneae ad Carthaginienses aditu; qua de causa in Didonis amore describendo non fuit exemplar.

A Catulli Ariadna quaedam in Didonem transtulisse Maronem satis constat.[3])

Inter Graecos certe non praetermisit Medeam Euripidis, utpote in mulierum sensibus atque moribus depingendis facile principis. Quam fabulam etiam Apollonio ex parte fuisse archetypum Ribbeckius dicit.[4]) Neque cur P. Richter inter Vergilii exemplaria Graecorum poetas tragicos non censeat referendos esse intellego.[5])

---

[1]) cf. Heinze pag. 129: „Trotz der grossen Lücken der erhaltenen älteren Litteratur gibt es kaum einen wesentlichen Zug in diesem Bilde (i. e. in animi motibus efferendis), den wir nicht aus Virgils Vorgängern belegen könnten."

[2]) F. Noack *Die erste Aeneis Vergils* (Hermes 27 [1892] pag. 435 e. q. s.) — Cui sententiae, quamquam non sine dubitatione, assentiri videtur etiam Heinze pag. 113 e. q. s.

[3]) Locos complures congessit Io. Kvičala *Neue Beiträge zur Erklärung der Aeneis,* Prag 1881, pag. 107 e. q. s.

[4]) Gesch. d. röm. Dichtung, II. pag. 63.

[5]) cf. diss. q. comm. pag. 5. — Non unum Aeneidos libri quarti locum cum Euripidis Medea confert Heinze pag. 130 e. q. s.; ubi etiam alia quibus nonnunquam usus sit Vergilius tragicorum exemplaria affert, Sophoclis Aiacem, Trachinias, Euripidis Alcestin.

Quibus praemissis ad rem ipsam accedamus.

Atque in Aeneide Venus verita, ne fraude Iunonis, quippe deae ex Paridis iudicio in Troianos implacabilis, Dido animo mutato Aeneam e Carthaginiensium finibus exire iubeat, ut ad reginam Ascanii forma indutus accedat, eamque Aeneae amore inflammet, Amorem rogat. Aen. I. 657 e. q. s.

Pari modo in Argonauticis rogatu Iunonis atque Minervae, quae ad vellus aureum capiendum Iasonem iuvare volunt, ut in Medeae, Aeetae filiae, animum vehementem Iasonis amorem iniciat, Venus filium orat.[1]) Arg. III. 129 e. q. s.

Cum Aeneidos tum Argonauticorum Amor matri roganti obsequitur. Aen. I. 689 e. q. s. — Arg. III. 154 e. q. s.

Neque vanus fuit falsi Ascanii in Didonem dolus.

I. 748 e. q. s.

nec non et vario noctem sermone trahebat
infelix Dido longumque bibebat amorem.

IV. 1. e. q. s.

. . *regina gravi iamdudum saucia cura*
volnus alit venis et caeco carpitur igni.

ib. 66 e. q. s.

. . . . *est mollis flamma medullas*
. . . . , *et tacitum vivit sub pectore volnus.*

Neque in Medeam frustra mittitur telum ab Amore.

III. 286 e. q. s.

. . . . βέλος δ' ἐνεδαίετο κούρῃ
νέρθεν ὑπὸ κραδίῃ, φλογὶ εἴκελον· ἀντία δ' αἰεὶ
βάλλεν ὑπ' Αἰσονίδην ἀμαρύγματα, καί οἱ ἄηντο
στηθέων ἐκ πυκιναὶ καμάτῳ φρένες, οὐ δέ τιν' ἄλλην
μνῆστιν ἔχεν, γλυκερῇ δὲ κατείβετο θυμὸν ἀνίῃ.

ib. 296 e. q. s.

. . . . ὑπὸ κραδίῃ εἰλυμένος αἴθετο λάθρῃ
οὖλος ἔρως.[2])

---

[1]) Quantum tamen hoc loco Apollonio arte praestet Maro, egregie exponit Heinze pag. 120 e. q. s.

[2]) Cum tamen sensim in Didone narrante Aenea amor oriatur, Medea contra, ut primum vidit Iasonem, statim amore capitur. cf. Heinze pag. 120 e. q. s.

Causae amoris atque quasi excusationes ab utroque poeta his versibus exprimuntur:

Aen. IV. 3 e. q. s.

multa viri virtus animo multusque recursat
gentis honos, haerent infixi pectore voltus
verbaque;

atque paucis interiectis versibus, 11 e. q. s.

quis novos hic nostris successit sedibus hospes,
quem sese ore ferens, quam forti pectore et armis!
credo equidem, nec vana fides, genus esse deorum.

ib. 83.

. . . *illum absens absentem auditque videtque.*

Arg. III. 453 e. q. s.

προπρὸ δ' ἄρ ὀφθαλμῶν ἔτι οἱ ἰνδάλλετο πάντα,
αὐτός θ' οἷος ἔην, οἵοισί τε φάρεσιν ἕστο,
οἷά τ' ἔειφ', ὥς θ' ἕζετ' ἐπὶ θρόνου, ὥς τε θύραζε
ἤιεν· οὐ δέ τιν' ἄλλον ὀίσσατο πορφύρουσα
ἔμμεναι ἀνέρα τοῖον· ἐν οὔασι δ' αἰὲν ὀρώρει
αὐδή τε μῦθοί τε μελίφρονες, οὓς ἀγόρευσεν.

Terrentur et Dido et Medea visis somniorum.

Aen. IV. 5.

. . . *nec placidam membris dat cura quietem.*

ib. 9.

. . . . *quae me suspensam insomnia terrent.*

Arg. III. 617 e. q. s.

. . . . ἄφαρ δέ μιν ἠπεροπῆες,
οἷά τ' ἀκηχεμένην, ὀλοοὶ ἐρέθεσκον ὄνειροι.

ib. 636.

δειλὴ ἐγών, οἷόν με βαρεῖς ἐφόβησαν ὄνειροι.

cf. Eur. Hecub. 68.

τί ποτ' αἴρομαι ἔννυχος οὕτω / δείμασι, φάσμασιν;

Animo paulisper Dido dubitat, utrum cedat quem in se sentit amori in Aeneam, an mortuo fidem servet marito. IV. 15 e. q. s.

Item Apollonii Medea inter Iasonis amorem et erga parentes pietatem huc illuc mente fluctuat, quid consilii capiat nescia. III. 459 e. q. s., 616 e. q. s.

Utraque tamen, illa fide in maritum, haec pietate erga parentes abiecta advenae peregrino cedit. — Ac Dido quidem vixdum fassa quem Sychaeo promiserit amorem pie se servaturam esse, simulatque nihil interesse mariti mortui, si alterum ineat conubium, quin potius ipsa patria exigi servanda atque tuenda, ex Anna sorore audivit, e vestigio, ut ita dicam, secundis quae ei suadentur nuptiis consentit. IV. 31 e. q. s.[1])

Atque eodem modo Medea, postquam in varias partes animum traxit, tandem pietate atque pudore devicto Iasoni opem se laturam esse Chalciopae sorori promittit neque hoc consilium, quamquam haud semel conscientiae angore agitata, iam mutat. III. 636 e. q. s.

Fusius tamen hoc loco videtur exponendum esse, quales effinxerit Medeae sensus atque mores Apollonius, ut quantum ab illa Dido distet magis intellegas. Atque Medea Amoris sagitta percussa, quamquam satiari non potest Iasonem oculis sequendo atque admirando, tamen qua de causa tanta cura illum virum qui mox tauros domandi periculum aditurus sit prosequatur ipsa non perspicit. Tum demum cum somnio monita est quae sentit intellegere incipit; se impelli sentit ut hospitem a periculo liberet atque in Graeciam sequatur. Nihilominus virginitatis suae et pietatis in parentes memor *despondeat*, exclamat, *ille sibi suo in populo Achaicam procul puellam!* Sed frustra se fallere studet amorique denique suc-

[1]) Quare huic quam profitetur Alfredus Rébelliau sententiae minime adsentior: *Dido, mulier aetate multo provectior et quae iam prius nupta fuerat, multo minus audacem, multo magis se praestat timidam (i. e. quam Medea).* cf. libri quem commemoravi pag. 61 — Neque ad Heynii sententiam accedo, qui amorem a Didone non leviter, sed post multas magnasque molitiones ad eum exstinguendum frustra factas susceptum esse dicit.

cumbit. *Attamen*, inquit, *iam periculum faciam, si a me auxilium petitura sit Chalciope de suis sollicita filiis; quae quidem res acerbum mihi in pectore exstinguat dolorem.* Neque spes eam fallit; etenim Chalciope Medeam quasi iubet per caelum et per terram iurare salutem se Graecis laturam esse. Quod laeta quidem haec promittit. At mox in cubiculo pudor et metus illam occupat quod talia contra patrem deliberet. Mirum est quantum se ipsa decipiat vehementi amore rapta; hospiti tantummodo ad victoriam subvenire se putat, neque quid vere sentiat dignoscit. Modo Iasonem deserere cogitat, modo iuvenem primum liberare vult, deinde sibi mortem consciscere; quin venenum parat quasi rem decreverit brevi agendam; sed iam vita se delectari fatetur, neque tamen hoc vitae desiderium ex ipso amore oriri videt. Atque ita in varias animum trahit partes, quoad tandem Iunone interveniente in consilio opem ferendi Iasoni perseverat. En vera virginis cuiuslibet imago! [1])

Cui imagini quam est dispar Didonis! Quae Aeneae errores atque aerumnas narrantis amore incensa, cum et illius et mariti mortui visum per noctem videat, somnum non potest capere. Ubi primum illuxit dies, sororem adit, cui ex morte Sychaei unum Aeneam ipsius *inflexisse sensus animumque labantem impulisse* fatetur. Atque iure quidem Dido, quippe iam antea nupta, aliter ac Medea dicit *se adgnoscere veteris vestigia flammae.* Tamen per caelum, per terram, per inferos iurat se fide Sychaeo habita nunquam violaturam esse pudorem. At simulans tantum haec videtur dixisse. Etenim quibusdam quae videbantur argumentis a sorore allatis, cur

---

[1]) cf. Couat, Poésie Alexandrine, pag. 308: „Ce qui est vraiment nouveau (chez Apollonius), c'est la profondeur de l'étude psychologique. Il y a peu de poètes dramatiques qui aient peint avec plus de franchise et de délicatesse cette lutte douloureuse de l'amour et de l'honneur dans l'âme d'une jeune fille."

Qualem depinxerit Medeam Apollonius egregie exposuerunt Sainte-Beuve *Revue des Deux Mondes* 1845, t. III. pag. 873 e. q. s. — Moltzer M. *De Apollonii Rhodii et Valerii Flacci Argonauticis,* Traiecti ad Rhenum, 1891 pag. 89 e. q. s. — René Harmand *De Valerio Flacco Apollonii Rhodii imitatore,* Nanceii, 1898 pag. 92 e. q. s.

iterum nubat, statim amori cedit. Atque mox sacra fieri iubet, quibus de conubii eventu inquiratur. Circum undique vagatur quasi cerva vulnerata sagitta. Per urbem Aeneam ducens opes ostendit paratas si velit remanere. Conviviis institutis, ut de novo labores narret, Aeneam rogat. Postquam cenati convivae abierunt, lectum, quo cum Aenea accubuit, intuita iterum eidem incubat. Ut paucis complectar, tota amore incensa consilium matrimonii cum Aenea ineundi iam non mutat.

Quoniam igitur amori succubuit, Dido victimas caedi iubet, quibus deorum venia exposcatur atque de coepti eventu inquiratur. Dum ipsa inspicit exta

heu vatum ignarae mentes! poeta exclamat,
quid vota furentem,
quid delubra iuvant? est mollis flamma medullas
interea, et tacitum vivit sub pectore volnus.
Aen. IV. 65 e. q. s.

In Argonauticis Argus, ut primum ad Hecatae templum vectam esse Medeam audivit, Iasonem eo ducit; quibus comitem se praebet Mopsus vates quae evenerint ex avibus praedicturus. Quem tamen cornix a Iunone missa his increpat:

Arg. III. 931 e. q. s.

ἀκλειὴς ὅδε μάντις, ὃς οὐδ᾽ ὅσα παῖδες ἴσασιν
οἶδε νόῳ φράσσασθαι, ὁθούνεκεν οὔτέ τι λαρὸν
οὔτ᾽ ἐρατὸν κούρῃ κεν ἔπος προτιμυθήσαιτο
ἠιθέῳ, εὖτ᾽ ἄν σφιν ἐπήλυδες ἄλλοι ἕπωνται.

Cum Aeneidos tum Argonauticorum versibus sensum inesse puto hunc: si de hominibus agitur amore captis, nihil sane vatum valere artem.

Quod Annam, Didonis sororem, Vergilius inducit, non nutricem ut Graeci in re tali solent, id Apollonio videtur debere qui Chalciopae, Medeae sorori, simile tribuit officium.[1])

[1]) De hac re ita disputare videtur Heinzius ac si sit Vergilii ingenio omnino propria. Iam nutrici volgare atque humile nescio quid adhaerere atque ab illa quam animo Vergilius concepit epici carminis dignitate prorsus alienam esse Heinzio lubenter concedo. Quaerere

Atque ex Annae sororis verbis Dido, num ineat cum Aenea conubium, dubitare iam desinit; pari modo Medea iuvandi Iasonem quod cepit consilium ut peragat per Chalciopen impellitur. Aen. IV. 31 e. q. s. — Arg. III. 645 e. q. s.

In describendo Aeneae atque Didonis coniugio Apollonium Vergilius sequitur. Una illi venatum profecti atque subita oppressi tempestate in antrum conveniunt ibique conubio iunguntur.

Aen. IV. 165 e. q. s.

speluncam Dido dux et Troianus eandem
deveniunt.

In spelunca Iasonis et Medeae lectus paratur genialis.

Arg. IV. 1128 e. q. s.

. . . . θαλαμήιον ἔντυον εὐνὴν
ἄντρῳ ἐν ἠγαθέῳ.

Ad Aeneae atque Didonis nuptias

. . . . *summoque ulularunt vertice nymphae.*
IV. 168.

In Argonauticis carmen nuptiale nymphae canunt.

IV. 1194 e. q. s.

νύμφαι δ' ἄμμιγα πᾶσαι, ...
ἱμερόεν θ' Ὑμέναιον ἀνήπυον·

Aeneas a Iove per Mercurium Africa relicta Italiam petere iussus cum classe avehi constituit Didone inscia. Haec tamen de re quam intendit Aeneas certior facta ad eum accedit perfidiamque ei obiurgat quod iureiurando violato ipsam fallere conatus discessum paret; tum precibus atque lacrimis a consilio eum revocare studet. IV. 295 e. q. s.

---

tamen liceat utrum proprio ingenio usus sorori potius illud tribuerit officium necne. Atque quoniam aliis locis persaepe, imprimis in Didonis amore describendo, Argonautica Maronem exemplar habuisse constat, haud scio an etiam in hac re Apollonium secutus sit, quippe qui ante ipsum contra poetarum morem pro nutrice sororem primus induxisset.

Medea pactione a Iasone cum Absyrto facta ut segregata a classe ipsa Dianae traderetur quoad rex quidam, iustitia praestans, utrum ad patrem rediret an Argonautas sequeretur decrevisset, illum pactae fidei admonitum ne ipsam deserat supplicibus verbis orat. IV. 350 e. q. s.[1])

Quam sit Apollonium accurate secutus hoc loco Vergilius ut videas, in versibus qui sequuntur inspicias velim illud crudelis (νηλεές):

quin etiam hiberno moliris sidere classem,
et mediis properas aquilonibus ire per altum,
crudelis! IV. 309 e. q. s.

cf. ib. 365 e. q. s.

nec tibi diva parens generis nec Dardanus auctor,
perfide.

cf. Arg. IV. 388 e. q. s.

. . . . μάλα γὰρ μέγαν ἤλιτες ὅρκον,
νηλεές·

Nam non vocabulum tantum, verum etiam quem obtinet locum (in illo et terminatur enuntiatum et versus orditur) a Graeco Maronem sumpsisse nemo non videt.[2])

Quoniam autem in proposito perstare Aeneam intellexit, Dido illum a se tanquam a Furia de loco ad locum agitatum perfidiae poenas daturum esse denuntiat. IV. 381 e. q. s.

Nec contra Iasonem Medea parcit minis, quibus exterritus a consilio ipsam tradendi desistat. IV. 384 e. q. s.; cf. III. 703 e. q. s.

Vergilius ipsum alloquitur Amorem
improbe Amor, quid non mortalia pectora cogis?

Vix quidquam esse poeta ait, ad quod non cogantur homines amore capti; iam ad Didonem quod attineat, eam ab Amore coactam nihil omittere quo retineri possit Aeneas. IV. 412 e. q. s.

[1]) Neque tamen negaverim aliam omnino hoc loco Medeae esse condicionem atque Didonis. — cf. etiam Ariadnes querelas Catulli carminis LXIIII vers. 132 e. q. s.

[2]) cf. I. Henry (Philologus, XII. 1857 pag. 258).

Cuius loci colorem ab Argonauticis videtur accepisse Maro; etenim Amore compellato

σχέτλι' Ἔρως, μέγα πῆμα, μέγα στύγος ἀνθρώποισι

quomodo hominum miseria (πῆμα) atque horror (στύγος) ille quidem vocari possit Apollonius explicat: per eum rixas perniciosas, lamenta, alia mala in homines incidere; quid quod ipsum fratrem Medea necaverit caeco Iasonis amore incensa. IV. 445 e. q. s.

Simulat se Dido paraturam esse sacrum quoddam magicum, quo aut Aeneas iterum amori illigetur aut ipsa amore solvatur. Quod sacrum arcanum se docuisse dicit ex Hesperidum hortis sacerdotem quandam.

Aen. IV. 481 e. p. s.

. . . . *locus est, ubi maximus Atlas*
axem umero torquet stellis ardentibus aptum:
hinc mihi Massylae gentis monstrata sacerdos,
Hesperidum templi custos epulasque draconi
quae dabat et sacros servabat in arbore ramos.[1])

Cuius sacerdotis hae enumerantur artes:

IV. 487 e. q. s.

haec se carminibus promittit solvere mentes
quas velit, ast aliis duras immittere curas,
sistere aquam fluviis et vertere sidera retro.

Nec minus Apollonius, quoniam artem magicam ab Hecate accepisse Medeam dixit, quas ea res arte illa praedita praeter naturae leges efficiat statim subiungit.

Arg. III. 529 e. q. s.

τὴν Ἑκάτη περίαλλα θεὰ δάε τεχνήσασθαι
φάρμαχ', ὅσ' ἤπειρός τε φύει καὶ νήχυτον ὕδωρ.
τοῖσι καὶ ἀκαμάτοιο πυρὸς μειλίσσετ' ἀυτμή,
καὶ ποταμοὺς ἵστησιν ἄφαρ κελαδεινὰ ῥέοντας,
ἄστρά τε καὶ μήνης ἱερῆς ἐπέδησε κελεύθους.[2])

---

[1]) cf. Hesperidum horti descriptionem Arg. IV. 1394 e. q. s.
[2]) cf. de his locis Heinze pag. 137 e. q. s.

Quae artes magicae quamquam ad fastidium in poesi amatoria sunt repetitae,[1]) tamen, cum imprimis Medeae poetae illas tribuant, Vergilio eam ante oculos versatam esse aliquo modo veri simile est. Haec opinio firmatur etiam eo quod ut Medeam ab Hecate Apollonius, ita a sacerdote quadam Didonem has artes accepisse Vergilius dicit. Quid quod hunc locum Maro inseruit Didonis narrationi quam tantam cum Argonauticorum libro tertio iam vidimus habere similitudinem?

Pulcherrima est atque notissima illa apud Vergilium noctis descriptio quae ipsam spirare videtur rerum quietem.

IV. 522 e. q. s.

nox erat, et placidum carpebant fessa soporem
corpora per terras, silvaeque et saeva quierant
aequora, cum medio volvontur sidera lapsu,
cum tacet omnis ager, pecudes pictaeque volucres,
quaeque lacus late liquidos quaeque aspera dumis
rura tenent, somno positae sub nocte silenti.

cf. VIII. 26 e. q. s.

nox erat, et terras animalia fessa per omnis
alituum pecudumque genus sopor altus habebat.

Neque tamen in ea inventionis laudem habet Vergilius, sed elocutionis in exprimendo Apollonio.

III. 743 e. q. s.

νὺξ μὲν ἔπειτ' ἐπὶ γαῖαν ἄγεν κνέφας· οἱ δ' ἐνὶ πόντῳ
ναῦται εἰς Ἑλίκην τε καὶ ἀστέρας Ὠρίωνος
ἔδρακον ἐκ νηῶν· ὕπνοιο δὲ καί τις ὁδίτης
ἤδη καὶ πυλαωρὸς ἐέλδετο· καί τινα παίδων
μητέρα τεθνεώτων ἀδινὸν περὶ κῶμ' ἐκάλυπτεν·
οὐ δὲ κυνῶν ὑλακὴ ἔτ' ἀνὰ πτόλιν, οὐ θρόος ἦεν
ἠχήεις· σιγὴ δὲ μελαινομένην ἔχεν ὄρφνην.

cf. IV. 1056 e. q. s.

στρευγομένοις δ' ἀν' ὅμιλον ἐπήλυθεν εὐνήτειρα
Νὺξ ἔργων ἄνδρεσσι, κατευκήλησε δὲ πᾶσαν
γαῖαν ὁμῶς·

---

[1]) cf. Theocr. Idyll. II., Hor. Epod. V. 45, Verg. Ecl. VIII. 69, Tibull. I. 2, 43, Ovid. Met. VII. 199 e. q. s., Ep. VI. 85, Prop. I. 1, 23, alios.

Quem Apollonii locum iam ante Vergilium interpretatus erat Varro Atacinus, cuius hos Seneca tradidit versus notissimos:

desierant latrare canes urbesque silebant;
omnia noctis erant placida composta quiete.[1])

cf. Eurip. Iph. Aul. 9 e. q. s. ubi, dum omnia silent atque quiescunt, Agamemno per noctem vigilat:

οὔκουν φθόγγος γ' οὔτ' ὀρνίθων / οὔτε θαλάσσης· σιγαὶ δ' ἀνέμων / τόνδε κατ' Εὔριπον ἔχουσιν.

Conferentibus iam nobis hos versus quaedam occurunt sane observanda. Ac primum quidem et in Aeneide et in Euripidis fabula de maris, ventorum,[2]) avium silentio fit mentio, quod quidem Argonauticorum loco deest.[3]) Contra Varronis illud *desierant latrare canes,* Apollonii οὐ δὲ κυνῶν ὑλακὴ ἔτ' ἀνὰ πτόλιν, quod maxime in hac imagine placet, in Aeneide prorsus desideratur.[4])

Quo summo noctis silentio neque Dido neque Medea somnum capere potest.

IV. 529 e. q. s.

at non infelix animi Phoenissa, neque umquam
solvitur in somnos oculisve aut pectore noctem
accipit: ingeminant curae, rursusque resurgens
saevit amor, magnoque irarum fluctuat aestu.
sic adeo insistit secumque ita corde volutat.

---

[1]) Sen. controv. lib. VII. 1, 27.

[2]) *silvae quiescunt* idem est ac *ventis non agitantur.*

[3]) cf. Kvičala pag. 151.

[4]) haud recte mihi videtur autumasse Wuellnerus *(De P. Terentii Varronis Atacini vita et scriptis,* Monast. 1828), ita tantum Varronem interpretatum esse Apollonii carmen, ut nonnulla opportunis locis inseruerit; etenim si hunc Atacini locum cum Argonauticorum versu 748 et qui sequitur comparaveris, fere ad verbum eum translatum esse videris. Accedit quod quae exstant Varronis fragmenta paucissima ad unum omnia Apollonium spectant. cf. A. Riese, Varr. sat. Menipp. pag. 261 e. q. s.

cf. Arg. III. 750 e. q. s.

ἀλλὰ μάλ' οὐ Μήδειαν ἐπὶ γλυκερὸς λάβεν ὕπνος.
πολλὰ γὰρ Αἰσονίδαο πόθῳ μελεδήματ' ἔγειρεν
. . . .
πυκνὰ δέ οἱ κραδίη στηθέων ἔντοσθεν ἔθυνεν.

ib. 769.

ἑζομένη δ' ἤπειτα δοάσσατο, φώνησέν τε.

Utraque per noctem vigilans primum videt diluculum.

IV. 586.

regina e speculis ut primam albescere lucem
vidit.

cf. Arg. III. 827.

ἡ δ' ἐπεὶ οὖν τὰ πρῶτα φαεινομένην ἴδεν ἠῶ
παρθενική.

In illa quam Dido habet oratione, cum profectos esse Troianos atque omnem iam spem sublatam intellexit, inter alia haec sunt:

IV. 604 e. q. s.

. . . . *faces in castra tulissem*
implessemque foros flammis natumque patremque
cum genere extinxem, memet super ipsa dedissem.

Eadem ira in Iasonem inflammata Medea

IV. 391 e. q. s.

. . . . ἵετο . . . .
νῆα καταφλέξαι, διά τ' ἔμπεδα πάντα κεάσσαι,
ἐν δὲ πεσεῖν αὐτὴ μαλερῷ πυρί.

Rogo conscenso extrema Dido profert verba, quibus haec invenio similia verborum Medeae domo aufugere decernentis:

IV. 657 e. q. s.

. . . . *si litora tantum*
nunquam Dardaniae tetigissent nostra carinae.

cf. Arg. IV. 32 e. q. s.

. . . . αἴθε σε πόντος,
ξεῖνε, διέρραισεν, πρὶν Κολχίδα γαῖαν ἱκέσθαι.

cf. Catull. LXIV. 171 e. q. s.; quos versus imitatum esse Maronem Servius dicit. cf. etiam Eurip. Med. 1 e. q. s.; quem locum Ennius in Medeae fabula latine vertit.[1]) (cf. 205 e. q. s. Ribb.)

Atque rogo Dido, Medea lecto suprema imprimit oscula: *os impressa toro.* IV. 659. — κύσσε δ' ἑόν τε λέχος. IV. 26. — cf. Eur. Alcest. 173 e. q. s., Soph. Trach. 917 e. q. s.

Ferro denique percussa Dido atque animam agens in rogo

ter sese attollens cubitoque adnixa levavit,
ter revoluta torost. IV. 690 e. q. s.

Capto consilio iuvandi Iasonem Medea ad sororem aditura

τρὶς μὲν ἐπειρήθη, τρὶς δ' ἔσχετο· τέτρατον αὖτις
λέκτροισι πρηνὴς ἐνικάππεσεν εἱλιχθεῖσα.
III. 654 e. q. s.

II. Quantum profuerit ad Didonis amorem describendum Argonauticorum quae est de Hypsipyla narratio.

Quoniam igitur multa eorum quae de Medea Apollonius finxerat in Didonem transtulisse Vergilium satis mihi ostendisse videor, transeamus nunc ad Argonauticorum libri primi de Hypsipyla narrationem, quam si accurate perspexeris Didoni describendae haud semel fuisse exemplar facile intelleges.[2])

---

[1]) quomodo hunc locum transtulerit explicat Leo *Plautin. Forsch.* pag. 86 e. q. s.

[2]) cf. Io. Kvičala *Vergil-Studien,* Prag 1878 pag. 146 e. q. s.

Ac primum quidem ut generatim atque universe quaedam componam, quemadmodum Troiani a Didone, sic ab Hypsipyla Argonautae hospitio excipiuntur. Atque diutius commorati, cum quod sibi proposuerant iter differatur, illi a Iove per Mercurium, ab Hercule hi obiurgantur et itineris atque laborum admonentur. Accedit ut et in insula Lemno et Carthagine mulier regnet

Iam singulos videamus locos.

Ab utraque regina condicio advenis fertur ut in ipsius terra semper remaneant.

Aen. I. 572 e. q. s.

voltis et his mecum pariter considere regnis:
urbem quam statuo vestra est, subducite navis;
Tros Tyriusque mihi nullo discrimine agetur.

cf. Arg. I. 827 e. q. s.

τῷ ὑμεῖς στρωφᾶσθ' ἐπιδήμιοι· εἰ δέ κεν αὖθι
ναιετάειν ἐθέλοις, καί τοι ἅδοι, ἦ τ' ἂν ἔπειτα
πατρὸς ἐμοῖο Θόαντος ἔχοις γέρας·

Dido ipsa Aeneam ad regiam ducit; tum supplicationem diis immortalibus decernit propter felicem hospitum adventum.

I. 631 e. q. s

. . . . *simul Aenean in regia ducit*
tecta, simul divom templis indicit honorem.

Huc etiam spectat Aeneidos libri quarti locus ubi Dido nuptiis cum Aenea non adversari se fassa sorori, ut deos sibi reddat propitios, victimas caedi iubet.

IV. 56 e. q. s.

principio delubra adeunt pacemque per aras
exquirunt: mactant lectas de more bidentis
legiferae Cereri Phoeboque patrique Lyaeo,
Iunoni ante omnis, cui vincla iugalia curae.

Pari modo Argonautae a Lemniis hospitio invitantur; atque alius in aliam domum, ipse Iason in regiam devertit; tum cantu et sacris Vulcanum Veneremque placant.

ib. 849 e. q. s.

καὶ δ' αὐτοὺς ξεινοῦσθαι ἐπὶ σφέα δώματ' ἄγεσκον.
. . . .
ἔνθ' ὁ μὲν Ὑψιπύλης βασιλήιον ἐς δόμον ὦρτο
Αἰσονίδης· οἱ δ' ἄλλοι ὅπῃ καὶ ἔκυρσαν ἕκαστος·
. . . .
. . . . ἔξοχα δ' ἄλλων
ἀθανάτων Ἥρης υἷα κλυτὸν ἠδὲ καὶ αὐτὴν
Κύπριν ἀοιδῇσιν θυέεσσί τε μειλίσσοντο.

Implorante Didone ne ipsam derelinquat, Aeneas se coactum a deo atque invitum Italiam petere respondet.

IV. 345 e. q. s.

sed nunc Italiam magnam Gryneus Apollo,
Italiam Lyciae iussere capessere sortes;
. . . . *nos fas extera quaerere regna,*
Italiam non sponte sequor.

Neque Iason condicionem remanendi in insula accipit.

I. 839 e. q. s.

. . . . ἀνακτορίη δὲ μελέσθω
σοί τ' αὐτῇ καὶ νῆσος· ἔγωγε μὲν οὐκ ἀθερίζων
χάζομαι, ἀλλά με λυγροὶ ἐπισπέρχουσιν ἄεθλοι.

Inter ea quae Aeneae fugam meditanti Dido verba facit haec sunt:

IV. 327 e. q. s.

saltem si qua mihi de te suscepta fuisset
ante fugam suboles, si quis mihi parvulus aula
luderet Aeneas, qui te tamen ore referret,
non equidem omnino capta ac deserta viderer.

Quibuscum conferas ea Argonauticorum quibus ab Iasone insula discessuro Hypsipyla petit ut sibi mandatum relinquat quod perficiat, si dii sibi concesserint ut pariat.

I. 897 e. q. s.

. . . . . λίπε δ' ἡμὶν ἔπος, τό κεν ἐξανύσαιμι
πρόφρων, ἤν ἄρα δή με θεοὶ δώωσι τεκέσθαι.

Denique versus quibus Aeneae atque sociorum discessus describitur in animum revocant locum ubi ab insula avehuntur Argonautae.

Aen. IV. 579 e. q. s.

. . . . *dixit vaginaque eripit ensem*
fulmineum strictoque ferit retinacula ferro.
idem omnis simul ardor habet, rapiuntque ruuntque:
litora deseruere, latet sub classibus aequor,
adnixi torquent spumas et caerula verrunt.

cf. Arg. I. 910 e. q. s.

ἦ. καὶ ἔβαιν' ἐπὶ νῆα παροίτατος· ὣς δὲ καὶ ἄλλοι
βαῖνον ἀριστῆες· λάζοντο δὲ χερσὶν ἐρετμὰ
ἐνσχερὼ ἑζόμενοι· πρυμνήσια δέ σφισιν Ἄργος
λῦσεν ὑπὲκ πέτρης ἁλιμυρέος· ἔνθ' ἄρα τοίγε
κόπτον ὕδωρ δολιχῇσιν ἐπικρατέως ἐλάτῃσιν.

III. De comparationibus.

Quoniam quicumque post Homerum exstiterunt poetae et Graeci et Romani quibus ille usus erat imitati fere sunt comparationes, Vergilium quoque plurimas transtulisse, cum sit res satis iam demonstrata, vix est cur repetam. Conferenti vero mihi Aeneidem cum Argonauticis non una occurrit comparatio quam ab Apollonio deprompsisse Maronem non dubito adfirmare. Sunt aliae quas, cum et apud Homerum et apud Apollonium inveniantur, utrum imitatus sit Vergilius non facile diiudicabis. Cum igitur non minus sit veri simile illas ex Apollonio sumptas esse quam ex Homero, si huc attuli, me vix a proposito digressum esse putavi. De singulis breviter dicturus neque utrum bene eas transtulerit poeta neque quaenam sua arte aut addiderit aut inverterit ad ingenium suum accommodata, in animo est exponere.

Sed ne sine ordine videar procedere, ad tripartitum illas de quibus dicam comparationes revoco genus; etenim aliae a diis atque hominibus, a bestiis aliae, reliquae denique a rebus inanimis sumptae sunt. — Primum igitur comparationes a diis atque hominibus petitas videamus.

Aen. I. 498 e. q. s. Dido ad templum incedens cum Diana comparatur his versibus:

qualis in Eurotae ripis aut per iuga Cynthi
exercet Diana choros, quam mille secutae
hinc atque hinc glomerantur oreades: illa pharetram
fert umero gradiensque deas supereminet omnis
(Latonae tacitum pertemptant gaudia pectus):
talis erat Dido, talem se laeta ferebat
per medios.

Cuius comparationis haec nimia ut mihi videtur est apud A. Gellium reprehensio Valerii Probi: *et quoniam de transferendis sententiis loquor, memini audisse me ex Valerii Probi discipulis, docti hominis et in legendis pensitandisque veteribus scriptis bene callidi, solitum eum dicere, nihil quidquam tam improspere Vergilium ex Homero vertisse quam versus hos amoenissimos, quos de Nausicaa Homerus fecit*

οἵη δ' Ἄρτεμις εἶσι κατ' οὔρεος ἰοχέαιρα,
ἢ κατὰ Τηΰγετον περιμήκετον ἢ Ἐρύμανθον,
τερπομένη κάπροισι καὶ ὠκείῃς ἐλάφοισιν·
τῇδέ θ' ἅμα νύμφαι, κοῦραι Διὸς αἰγιόχοιο,
ἀγρονόμοι παίζουσι, γέγηθε δέ τε φρένα Λητώ·
πασάων δ' ὑπὲρ ἥγε κάρη ἔχει ἠδὲ μέτωπα,
ῥεῖά τ' ἀριγνώτη πέλεται, καλαὶ δέ τε πᾶσαι·
ὣς ἥγ' ἀμφιπόλοισι μετέπρεπε παρθένος ἀδμής.

Od. VI. 102 e. q. s.

Primum omnium id visum esse dicebant Probo quod apud Homerum quidem virgo Nausicaa ludibunda inter familiares puellas in locis solis recte atque commode confertur cum Diana venante in iugis montium inter agrestes deas, nequaquam autem conveniens Vergilium fecisse, quoniam Dido in urbe media ingrediens inter Tyrios principes cultu

atque incessu serio, instans operi, sicut ipse ait, regnisque futuris, nihil eius similitudinis capere possit quae lusibus atque venatibus Dianae congruat. [1])

Quibus respondeo ipsum comparationis argumentum vix ab uno Homero sumpsisse Vergilium. Etenim videtur fugisse Probum locus hic Argonauticorum, quo cum eadem dea comparatur Medea:

Arg. III. 875 e. q. s.

οἵη δὲ λιαροῖσιν ἐφ' ὕδασι Παρθενίοιο,
ἠὲ καὶ Ἀμνισοῖο λοεσσαμένη ποταμοῖο
χρυσείοις Λητωὶς ἐφ' ἅρμασιν ἑστηυῖα
ὠκείαις κεμάδεσσι διεξελάσῃσι κολώνας,
τηλόθεν ἀντιόωσα πολυκνίσου ἑκατόμβης·
τῇ δ' ἅμα νύμφαι ἕπονται ἀμοιβάδες·

Atque a Vergilio Dido, quam magna sequitur iuvenum caterva, ad templum incedens item comparatur Dianae ad Eurotae ripas aut per Cynthum nympharum choros ducenti, quemadmodum ab Apollonio Medea cum famulis ad Hecatae templum vecta Dianae nympharum comitatu sacrum visitanti. Neque tamen nego esse in Vergilii comparatione partes quasdam quibus ex Odyssia eam ornatam esse satis appareat; conferas haec:

Aen. *per iuga Cynthi.*
Od. κατ' οὔρεος ἢ κατὰ . . . . . . Ἐρύμανθον.
Aen. *illa pharetram fert umero.*
Od. Ἄρτεμις . . . . . ἰοχέαιρα.
Aen. *Latonae tacitum pertemptant gaudia pectus.*
Od. γέγηθε δέ τε φρένα Λητώ.
Aen. . . . . *gradiensque deas supereminet omnis:*
talis erat Dido, talem se laeta ferebat
per medios.
Od. πασάων δ' ὑπὲρ ἥγε κάρη ἔχει ἠδὲ μέτωπα,
ῥεῖά τ' ἀριγνώτη πέλεται, καλαὶ δέ τε πᾶσαι·
ὣς ἥγ' ἀμφιπόλοισι μετέπρεπε παρθένος ἀδμής.

[1]) Gellius, Noct. Att. IX. 9.

Ex iis quae dixi quid obstat quominus coniecturam saltem capiamus, in ipsa comparatione instituenda ut Argonautica ante oculos habuisse Vergilium, ita in exornanda plura ex Homero transtulisse.

Tamen vel ea quae ab Homero mutuatus est Maro comparationis ornamenta scrutans Probus aequo severius reprehendit; sed ne deflectere videar id unum monuerim, in exemplis atque comparationibus summam potissimum rei spectandam esse, non unumquodque verbum aurificis ut aiunt statera examinandum.[1])

Ut cum Diana Dido, ita Aeneas venatum proficiscens cum Apolline festo die ad choros instituendos prodeunte comparatur.

Aen. IV. 143 e. q. s.

qualis ubi hibernam Lyciam Xanthique fluenta
deserit ac Delum maternam invisit Apollo
instauratque choros, mixtique altaria circum
Cretesque Dryopesque fremunt pictique Agathyrsi;
ipse iugis Cynthi graditur mollique fluentem
fronde premit crinem fingens atque inplicat auro,
tela sonant umeris: haut illo segnior ibat
Aeneas tantum, egregio decus enitet ore.

Quo complures spectant Argonauticorum loci; primus qui est de Iasonis incessu cum Apollinis conlato.

Arg. I. 307 e. q. s.

οἷος δ' ἐκ νηοῖο θυώδεος εἶσιν Ἀπόλλων
Δῆλον ἀν' ἠγαθέην, ἠὲ Κλάρον, ἢ ὅγε Πυθώ,
ἢ Λυκίην εὐρεῖαν ἐπὶ Ξάνθοιο ῥοῇσιν,
τοῖος ἀνὰ πληθὺν δήμου κίεν·

alter qui est de iuvenum choro ad fidium cantum circum aram saltante.

---

[1]) *in qua (comparatione) Homerum cum Vergilio contulerunt viri docti iniquo fere iudicio, cum in singulis partibus haererent et ex accessoriis rebus vim totius comparationis definirent.* Heynius ad Aen. lib. I. exc. XX.

ib. I. 536 e. q. s.

. . . . ὥστ' ἠίθεοι Φοίβῳ χορὸν ἢ ἐνὶ Πυθοῖ,
ἤ που ἐν Ὀρτυγίῃ, ἢ ἐφ' ὕδασιν Ἰσμηνοῖο
στησάμενοι φόρμιγγος ὑπαὶ περὶ βωμὸν ὁμαρτῇ
ἐμμελέως κραιπνοῖσι πέδον ῥήσσωσι πόδεσσιν·

tertius denique quo Apollinis visuri Hyperboreos atque Argonautis apparentis cultus describitur habitusque.

ib. II. 678 e. q. s.

. . . . χρύσεοι δὲ παρειάων ἑκάτερθεν
πλοχμοὶ βοτρυόεντες ἐπερρώοντο κιόντι·
λαιῇ δ' ἀργύρεον νώμα βιόν, ἀμφὶ δὲ νώτοις
ἰοδόκη τετάνυστο κατωμαδόν·

cf. ib. III. 1239 e. q. s., ubi est de Neptuni incessu.

Sedulitas qua Vulcanus Aeneae arma fabricaturus prima luce e lecto surgit similitudine depingitur matronae pauperis quae, ut egestatem domo arceat, partem noctis in operibus consumit.

Aen. VIII. 408 e. q. s.

. . . . *cum femina primum,*
cui tolerare colo vitam tenuique Minerva
impositum, cinerem et sopitos suscitat ignes,
noctem addens operi, famulasque ad lumina longo
exercet penso, castum ut servare cubile
coniugis et possit parvos educere natos:
haut secus Ignipotens . . . . .

Cuius comparationis quasi prima vestigia habes et in eo Iliadis loco ubi aequo proelio Troiani Graecique discedunt.

Il. XII. 433 e. q. s.

ὥς τε τάλαινα γυνὴ χερνῆτις ἀληθής,
ἥ τε σταθμὸν ἔχουσα καὶ εἴριον ἀμφὶς ἀνέλκει
ἰσάζουσ', ἵνα παισὶν ἀεικέα μισθὸν ἄρηται,

et in Argonauticis ubi per noctem angoribus Medea conficitur.

IV. 1060 e. q. s.

οἷον ὅτε κλωστῆρα γυνὴ ταλαεργὸς ἑλίσσει
ἐννυχίη·

Est alter Argonauticorum locus quem perperam quosdam huc advocasse interpretes Heynius opinatur.[1]) Quo loco Medeae amor animo compressus gliscit ut ignis paene exstinctus paleis quas mulier e lecto mox surrectura imponit.

Arg. III. 291 e. q. s.

ὡς δὲ γυνὴ μαλερῷ περὶ κάρφεα χεύατο δαλῷ
χερνῆτις, τῇπερ ταλασήια ἔργα μέμηλεν,
ὥς κεν ὑπωρόφιον νύκτωρ σέλας ἐντύναιτο,
πάγχυ μάλ' ἐγρομένη· τὸ δ' ἀθέσφατον ἐξ ὀλίγοιο
δαλοῦ ἀνεγρόμενον σὺν κάρφεα πάντ' ἀμαθύνει·
τοῖος ὑπὸ κραδίῃ εἰλυμένος αἴθετο λάθρῃ
οὖλος ἔρως·

Licet in Argonauticis aliud sit id quod comparatur atque in Aeneide (in illis comparatio instituitur amoris gliscentis cum igne in flammas paulatim surgente, in hac Vulcani sedulitatis cum matronae), ipsius coloris partes haud semel convenire nemo non videt.

Deinceps de iis quae a bestiis repetitae sunt comparationibus dicamus.

In Aeneidos libro IX. lupus infertur ad pugnacem Turni animum exprimendum. Troiani iis quae ad Evandrum profecturus Aeneas praescripserat oboedientes intra moenia se continent neque hostibus ad castra oppugnanda accedentibus dimicandi dant occasionem. Quae cum clausa videat Turnus undique qua intrare possit perquirit.

Aen. IX. 59 e. q. s.

ac veluti pleno lupus insidiatus ovili
quom fremit ad caulas, ventos perpessus et imbris,
nocte super media (tuti sub matribus agni
balatum exercent, ille asper et improbus ira
saevit in absentis, collecta fatigat edendi
ex longo rabies et siccae sanguine fauces).

Quae pugnantium cum lupo vel alia fera comparatio cum satis frequens sit (cf. Il. XI. 548 e. q. s., XII. 299 e. q. s., XVII. 657 e. q. s., quibus locis comparatio fit cum leone),

[1]) Heynius ad h. l.

non est cur pro certo dicam ante oculos habuisse Maronem Apollonii potius locum ubi Polyphemus, ut primum Hylae pueri a nympha in aquam detracti clamores audivit, ad fontem accurrit.[1])

Arg. I. 1243 e. q. s.

. . . . ἠΰτε τις θὴρ
ἄγριος, ὅν ῥά τε γῆρυς ἀπόπροθεν ἵκετο μήλων,
λιμῷ δ' αἰθόμενος μετανείσεται, οὐδ' ἐπέκυρσεν
ποίμνῃσιν· πρὸ γὰρ αὐτοὶ ἐνὶ σταθμοῖσι νομῆες
ἔλσαν· ὁ δὲ στενάχων βρέμει ἄσπετον, ὄφρα κάμῃσιν·

Turnus fracto ense timore Aeneae affectus salutemque petens huc illuc fugit, sed undique et a Troianis et vasta palude et urbis moenibus retinetur; atque ultro citroque cursans similis habetur cervi qui flumine inclusus a venatore auxilio Umbri canis quominus effugiat impeditur et perterritus modo in hanc modo in illiam se vertit regionem.

Aen. XII. 753 e. q. s.

. . . . *at vividus Umber*
haeret hians, iam iamque tenet similisque tenenti
increpuit malis morsuque elusus inani est.[2])

Quos versus mutuatus est Vergilius ab illo Argonauticorum loco ubi Boreae filii frustra Harpyias persequentes cum canibus comparantur qui feram per saltum agitatam iam iamque se tenere putant atque

. . . . τυτθὸν δὲ τιταινόμενοι μετόπισθεν
ἄκρῃς ἐν γενύεσσι μάτην ἀράβησαν ὀδόντας.

Arg. II. 280 e. q. s.

In certamine navali quod in honorem Anchisae patris ab Aenea instituitur, cursus navis quae est Mnesthei leviter tantum mare tangere visae celeritate explicatur columbae aërem pervolitantis.

---

[1]) alio certe Aeneidos spectat imago, alio Argonauticorum.

[2]) cf. Servium ad Aen. XII. 754 e. q. s.: *hi duo versus verbum ad verbum sunt translati de Apollonio.*

Aen. V. 213 e. q. s.

. . . *qualis spelunca subito commota columba,*
cui domus et dulces latebroso in pumice nidi,
fertur in arva volans plausumque exterrita pinnis
dat tecto ingentem, mox aëre lapsa quieto
radit iter liquidum celeris neque commovet alas.

Atque simili ad significandam qua Argonautarum navis vehatur tranquillitatem Apollonius usus est comparatione cum accipitre.

Arg. II. 935 e. q. s.

. . . . ἠύτέ τίς τε δι' ἠέρος ὑψόθι κίρκος
ταρσὸν ἐφεὶς πνοιῇ φέρεται ταχύς, οὐ δὲ τινάσσει
ῥιπήν, εὐκήλοισιν ἐνευδιόων πτερύγεσσιν.

Aen. VII. 699 e. q. s. cum cycnorum cantu militum cantus comparatur; incedunt enim Fescennini, Falisci, alii Messapo duce regem canentes

ceu quondam nivei liquida inter flumina cycni,
cum sese e pastu referunt et longa canoros
dant per colla modos, sonat amnis et Asia longe
pulsa palus.

Similem Apollonius ad puellarum questus exprimendos adhibet comparationam.

Arg. IV. 1298 e. q. s.

. . . . ὅτε καλὰ νάοντος ἐπ' ὀφρύσι Πακτωλοῖο
κύκνοι κινήσουσιν ἑὸν μέλος, ἀμφὶ δὲ λειμὼν
ἑρσήεις βρέμεται, ποταμοῖό τε καλὰ ῥέεθρα·

Etiam apud Homerum hanc cum cycnis invenio comparationem:

Il. II. 459 e. q. s.

. . . . ὥς τ' ὀρνίθων πετεηνῶν ἔθνεα πολλά,
χηνῶν ἢ γεράνων ἢ κύκνων δουλιχοδείρων,
'Ασίῳ ἐν λειμῶνι, Καϋστρίου ἀμφὶ ῥέεθρα,
ἔνθα καὶ ἔνθα ποτῶνται ἀγαλλόμενα πτερύγεσσιν,
κλαγγηδὸν προκαθιζόντων, σμαραγεῖ δέ τε λειμών.

Neque utrum potius imitatus sit Vergilius statim diiudicaveris. Ac primum quidem ut afferam quibus probetur eum de Iliados loco saltem cogitasse, *Asia palus* Aeneidos illi Ἀσίῳ ἐν λειμῶνι sane respondet, neque quomodo in hac comparatione adhibenda in mentem ei venerit pratum illud in Asia situm nisi ratione Iliadis habita facile intellego. Accedit quod cum in Aeneide tum apud Homerum res agitur militaris. — Nihilominus ex Apollonio potius Vergilius comparationem mihi videtur sumpsisse. Etenim primum apud utrumque sermo est de cycnorum cantu (canoros modos, μέλος), a quo illud κλαγγηδὸν Homeri sane differt. Tum in Argonauticis solis mentio fit fluminis frementis (βρέμεται ῥέεθρα ποταμοῖο), cui respondet Vergilii illud *sonat amnis*. Denique eo maxime probatur quod in iis qui proxime sequuntur versibus Apollonium fuisse exemplar satis apparet:

VII. 703 e. q. s.

nec quisquam aeratas acies ex agmine tanto
misceri putet, aëriam sed gurgite ab alto
urgueri volucrum raucarum ad litora nubem.

cf. Arg. IV. 238 e. q. s.

. . . . οὐδέ κε φαίης
τόσσον νηίτην στόλον ἔμμεναι, ἀλλ' οἰωνῶν
ἰλαδὸν ἄσπετον ἔθνος ἐπιβρομέειν πελάγεσσιν.

Quae cum ita sint, non satis mihi videtur considerate iudicare Richter, cum nulla omnino ratione allata imitatum esse Vergilium unum Homeri locum pro certo affirmet.[1])

In Aeneidos libro V., ubi ludus describitur Troianus, pueri cursus flexos implicant atque ludendo modo fugam modo proelium simulant.

V. 594 e. q. s.

delphinum similes, qui per maria umida nando
Carpathium Libycumque secant.[2])

Similis, quamquam ornatior, in Argonauticorum libro IV. est comparatio cum Nereidibus circum Argo natantibus.

[1]) Richteri dissert. pag. 33.

[2]) quod hemistichium in quibusdam libris manuscriptis expletum est vocabulis *luduntque per undas*, quae tamen in optimis MSS. desunt.

IV. 931 e. q. s.

ὡς δ' ὁπότ' ἂν δελφῖνες ὑπὲξ ἁλὸς εὐδιόωντες
σπερχομένην ἀγεληδὸν ἑλίσσωνται περὶ νῆα,
ἄλλοτε μὲν προπάροιθεν ὁρώμενοι, ἄλλοτ' ὄπισθεν,
ἄλλοτε παρβολάδην, ναύτῃσι δὲ χάρμα τέτυκται·[1])

Serpens rota obtritus vel a viatore ictus frustra fugere studet. Talem fuisse poeta navem dicit Sergesti quae in certamine scopulo nimis admota unius lateris remos amiserat et lente atque magno cum labore in portum redit.

Aen. V. 273 e. q. s.

qualis saepe viae deprensus in aggere serpens,
aerea quem oblicum rota transit aut gravis ictu
seminecem liquit saxo lacerumque viator;
nequiquam longos fugiens dat corpore tortus,
parte ferox ardensque oculis et sibila colla
arduus attollens, pars volnere clauda retentat
nixantem nodis seque in sua membra plicantem.

Similem Apollonius ab angue ducit comparationem in describenda Argo Tritonem lacum circumvecta.

Arg. IV. 1539 e. q. s.

ὡς δὲ δράκων σκολιὴν εἰλιγμένος ἔρχεται οἶμον,
εὖτέ μιν ὀξύτατον θάλπει σέλας ἠελίοιο·
ῥοίζῳ δ' ἔνθα καὶ ἔνθα κάρη στρέφει, ἐν δέ οἱ ὄσσε
σπινθαρύγεσσι πυρὸς ἐναλίγκια μαιμώοντι
λάμπεται, ὄφρα μυχὸν δὲ διὰ ῥωχμοῖο δύηται·

cf. etiam Lucretium, lib. III. v. 655 e. q. s.

Aen. VI. 707 e. q. s. innumerabiles Aeneas videt inferorum umbras circum amnem oblivionis volantes

---

[1]) hanc imaginem, quippe quam Aeneidos interpretes quidam ex Argonauticis sumptam esse dicant, non praetermittendam esse putavi. Tamen, quamvis magna inter utrumque poetam intercedat similitudo, cum haec delphinum imago regionum meridianarum incolis tam facile pateat, an vere hoc loco agnoscenda sit imitatio, vehementer haereo. cf. Pacuv. (409 e. q. s. Ribb.), Accius (403 e. q. s. Ribb.), Ovid Met. III. 685 e. q. s.

. . . . *velut in pratis ubi apes aetate serena*
floribus insiduunt variis et candida circum
lilia funduntur, strepit omnis murmure campus.

cf. etiam Aen. I. 430 e. q. s.

Eandem mulieres Lemniae imaginem praebent dum valere iubent Argonautas.

Arg. I. 879 e. q. s.

ὡς δ' ὅτε λείρια καλὰ περιβρομέουσι μέλισσαι
πέτρης ἐκχύμεναι σιμβληίδος, ἀμφὶ δὲ λειμὼν
ἑρσήεις γάνυται, καὶ δὲ γλυκὺν ἄλλοτ' ἐπ' ἄλλον
καρπὸν ἀμέργουσιν πεποτημέναι·

Adumbratus esse videtur hic Argonauticorum locus Iliadis libri alterius versibus 87 e. q. s.

ἠΰτε ἔθνεα εἶσι μελισσάων ἀδινάων
πέτρης ἐκ γλαφυρῆς αἰεὶ νέον ἐρχομενάων·
βοτρυδὸν δὲ πέτονται ἐπ' ἄνθεσιν εἰαρινοῖσιν.
αἱ μέν τ' ἔνθα καὶ ἔνθα ἅλις πεποτήαται, αἱ δέ τε ἔνθα· [1])

Est altera cum apibus comparatio in Aeneidos libro XII. — Troiani Latinorum urbem aggressi ignem inferunt; atque nuntio allato Aeneam consilium cepisse urbis expugnandae inter cives perterritos discordia exorta alii portas aperiri iubent, alii armis captis moenia defendunt.

XII. 587 e. q. s.

inclusas ut cum latebroso in pumice pastor
vestigavit apes fumoque implevit amaro:
illae intus trepidae rerum per cerea castra
discurrunt magnisque acuunt stridoribus iras;
volvitur ater odor tectis, tum murmure caeco
intus saxa sonant, vacuas it fumus ad auras.

Cui comparationi illa respondet Argonauticorum quam ad Bebryces diffugientes poeta transtulit.

---

[1]) cf. Macrob. Saturn. V. 11.

II. 130 e. q. s.

ὡς δὲ μελισσάων σμῆνος μέγα μηλοβοτῆρες
ἠὲ μελισσοκόμοι πέτρῃ ἔνι καπνιόωσιν,
αἳ δ' ἤτοι τείως μὲν ἀολλέες ᾧ ἐνὶ σίμβλῳ
βομβηδὸν κλονέονται, ἐπιπρὸ δὲ λιγνυόεντι
καπνῷ τυφόμεναι πέτρης ἑκὰς ἀίσσουσιν·

Ex formicis illam Vergilius repetivit similitudinem qua exponit quanta industria Aeneae socii perficiant quibus opus sit ut quam celerrime Africa relicta Italiam petere possint.

Aen. IV. 402 e. q. s.

ac velut ingentem formicae farris acervom
cum populant hiemis memores tectoque reponunt:
it nigrum campis agmen[1] *praedamque per herbas*
convectant calle angusto, pars grandia trudunt
obnixae frumenta umeris, pars agmina cogunt
castigantque moras, opere omnis semita fervet.

Quam similitudinem ex Argonauticorum quarto cepit ubi formicarum similes Minyae ad aquam repertam convolant; egregie tamen eam ornavit.

v. 1450 e. q. s.

ὡς δ' ὁπότε στεινὴν περὶ χηραμὸν εἰλίσσονται
γειομόροι μύρμηκες ὁμιλαδόν.

Atque has quidem habui comparationes ab animantibus petitas; restat ut quae ab inanimis sumptae sunt adferam.

Vergilius in instituenda comparatione Didonis apud inferos aegre propter caliginem visae cum nova luna exemplar habuit Argonauticorum locum qui est de Lynceo se Herculem procul videre opinato.

Aen. VI. 452 e. q. s.

Didonem Aeneas agnovit *per umbras*
obscuram, qualem primo qui surgere mense
aut videt aut vidisse putat per nubila lunam.

---

[1]) quod hemistichium Ennii esse Servius dicit. cf. Serv. ad h. l.

cf. Arg. IV. 1475 e. q. s.

. . . . Ἡρακλῆα
. . . . εἴσατο Λυγκεὺς
τὼς ἰδέειν, ὥς τίς τε νέῳ ἐνὶ ἤματι μήνην
ἢ ἴδεν, ἢ ἐδόκησεν ἐπαχλύουσαν ἰδέσθαι.

Lorica rutila atque ingens, quae inter cetera arma a Vulcano arte singulari perfecta Aeneae dono data est, splendorem edens talis est qualis nubes caerula cum

solis inardescit radiis longeque refulget.

Aen. VIII. 623.

Qua imagine Maro verba Homeri θώρηκα φαεινότερον πυρὸς αὐγῆς (Il. XVIII. 610) auxisse ex parte atque ornasse videtur loco illo Argonauticorum ubi vellus aureum simile habetur nubi.

IV. 125 e. q. s.

. . . . ἥτ' ἀνιόντος
ἠελίου φλογερῇσιν ἐρεύθεται ἀκτίνεσσιν.

Aeneas gravissimum in Latio sibi bellum imminere intellegens copiarum paucitate anxius varia secum volvit consilia. Quae animi affectio hac exprimitur comparatione:

Aen. VIII. 22 e. q. s.

sicut aquae tremulum labris ubi lumen aenis
sole repercusso aut radiantis imagine lunae
omnia pervolitat late loca iamque sub auras
erigitur summique ferit lacuaria tecti.[1])

Eandem fere habes similitudinem in Argonauticis ubi dubius Medeae animus huc illuc se vertit.

Arg. III. 755 e. q. s.

ἠελίου ὥς τίς τε δόμοις ἐνιπάλλεται αἴγλη
ὕδατος ἐξανιοῦσα, τὸ δὴ νέον ἠὲ λέβητι,
ἠέ που ἐν γαυλῷ κέχυται· ἡ δ' ἔνθα καὶ ἔνθα
ὠκείῃ στροφάλιγγι τινάσσεται ἀίσσουσα·

[1]) cf. Servium ad Aen. VIII. 19: *curarum fluctuat aestu:* his verbis futuram praeoccupat comparationem quae est Apollonii verbum ad verbum.

Aeneas et Turnus pugnantium ordines percurrunt atque multos trucidant hostes.

Aen. XII. 521 e. q. s.

ac velut inmissi diversis partibus ignes
arentem in silvam et virgulta sonantia lauro.

Pariter Argonautae atque Doliones inter se corruunt.

Arg. I. 1027 e. q. s.

ὀξείῃ ἴκελοι ῥιπῇ πυρός, ἥτ' ἐνὶ θάμνοις
αὐαλέοισι πεσοῦσα κορύσσεται·

Conferas etiam Iliados locum ubi Agamemno Troianos persequitur

ὡς δ' ὅτε πῦρ ἀίδηλον ἐν ἀξύλῳ ἐμπέσῃ ὕλῃ·

Il. XI. 155.

Paulo aliter Il. II. e. q. s., ubi exercitus arma fulgentia igni comparantur silvam absumenti:

ἠΰτε πῦρ ἀίδηλον ἐπιφλέγει ἄσπετον ὕλην
οὔρεος ἐν κορυφῇς, ἕκαθεν δέ τε φαίνεται αὐγή.

Aen. VI. 309 e. q. s. turbam umbrarum, quas duce Sibylla ad Acherontis ripas Aeneas invenit porrectis manibus Charontem ut se traiciat orantes, permagnam fuisse foliorum declaratur imagine.

quam multa in silvis autumni frigore primo
lapsa cadunt folia.

Isdem cum foliis Colchorum numerus in armis congregatorum comparatur.

Arg. IV. 216 e. q. s.

ὅσα φύλλα χαμάζε περικλαδέος πέσεν ὕλης
φυλλοχόῳ ἐνὶ μηνί.

cf. etiam Od. IX. 51.

ἦλθον . . . ὅσα φύλλα καὶ ἄνθεα γίγνεται ὥρῃ.

Il. II. 800.

. . . . φύλλοισιν ἐοικότες . . . . ἔρχονται.

Troia, urbs antiquissima, a Graecis diu frustra oppugnata tandem evertitur. Atque eius interitus ornate describitur comparatus cum orni casu quae, quamvis firma, crebris securis ictibus concidit.

Aen. II. 626 e. q. s.

ac veluti summis antiquam in montibus ornum
cum ferro accisam crebrisque bipennibus instant
eruere agricolae certatim, illa usque minatur
et tremefacta comam concusso vertice nutat,
volneribus donec paulatim evicta supremum
congemuit traxitque iugis avolsa ruinam.

Ita talus gigas qui ab insula Creta Argonautas lapidibus arcet, dum Medeae cantu graviter in terram cadit, poetae videtur pinus altae similis, cuius truncum a lignariis iam succisum brevi turbida prosternit procella.

Arg. IV. 1680 e. q. s.

. . . ὥς τίς τ' ἐν ὄρεσσι πελωρίη ὑψόθι πεύκη.
τήντε θοοῖς πελέκεσσ ν ἔθ' ἡμιπλῆγα λιπόντες
ὑλοτόμοι δρυμοῖο κατήλυθον· ἣ δ' ὑπὸ νυκτὶ
ῥιπῇσιν μὲν πρῶτα τινάσσεται, ὕστερον αὖτε
πρυμνόθεν ἐξεαγεῖσα κατήριπεν·[1]

Sunt quidam apud Homerum loci ubi sicut arbor, ita hostis ferro cadens fingitur; deest tamen ille quem apud Vergilium atque Apollonium videmus comparationis ornatus.

ἤριπε δ', ὡς ὅτε τις δρῦς ἤριπεν ἢ ἀχερωὶς
ἠὲ πίτυς βλωθρή, τήν τ' οὔρεσι τέκτονες ἄνδρες
ἐξέταμον πελέκεσσι νεήκεσι νήιον εἶναι·

Il. XIII. 389 e. q. s.; cf. ib. XVI. 482 e. q. s.[2])

. . . ὁ δ' ἐν κονίῃσι χαμαὶ πέσεν, αἴγειρος ὥς,
τὴν μὲν θ' ἁρματοπηγὸς ἀνὴρ αἴθωνι σιδήρῳ
ἐξέταμ'. Il. IV. 482 e. q. s.

Idem videtur dicendum esse de loco Catulli carminis LXIIII. vv. 105 e. q. s. ubi monstrum illud a Theseo victum ad terram cadit ut quercus aut pinus vi tempestatis eversa.

---

[1]) aliam tamen esse Aeneidos imaginem nemo non videt; etenim quod proprium est Argonauticorum comparationi atque maxime placet, pinum, quam succisam lignarii reliquerunt, tempestatis vi nocte evulsam esse, in Aeneide sane desideratur. In exornanda vero imagine hunc Apollonii locum spectavisse Vergilium negari vix potest.

[2]) cf. Macrob. Saturn. V. 11.

nam velut in summo quatientem brachia Tauro
quercum aut conigeram sudanti cortice pinum
indomitum turben contorquens flamine robur
eruit (illa procul radicitus exturbata
prona cadit, late quast impetus obvia frangens),
sic domito saevom prostravit corpore Theseus
nequiquam vanis iactantem cornua ventis.

Cloanthi navis diis maritimis adiuvantibus
. . . . . . *noto citius volucrique sagitta*
ad terram fugit et portu se condidit alto.
Aen. V. 242 e. q. s.

Aeneae navis undas pervolat
ocior et iaculo et ventos aequante sagitta.
ib. X. 248.

Iuppiter bello inter Troianos et Italos saevienti finem impositurus, ut Iuturnam a proelio avocet, unam Dirarum in terram mittit; quae mandatum secuta defertur
non secus ac nervo per nubem impulsa sagitta.
ib. XII. 856.

Argo Minervae manu scopulorum anfractibus expedita
. . . . ἰκέλη πτερόεντι μετήορος ἔσσυτ᾽ ὀιστῷ.
Arg. II. 602.

IV. Vergilii de Harpyiis narratio cum Apollonii comparatur.[1])

Quamquam antiquissima erat Phinei atque Harpyiarum fabula atque antiquitus cum Argonautarum conexa,[2]) tamen, cum inveniantur in Aeneide singularia quaedam omnino referenda ad eam illius fabulae formam, qualis a Rhodio traditur poeta, hunc potius habuisse exemplar Maronem iure mihi videor dicere.

Atque Vergilius quoniam in Troianorum erroribus describendis ex Creta in Strophadas insulas eos tempestate delatos

[1]) cf. Mirmontii quem in prooemio commemoravi librum. — Heynii ad lib. III. Aeneidos excursum VII. — Heinze pag. 110 e. q. s.

[2]) cf. Io. Henr. Voss, *Mythologische Briefe,* Königsberg 1794 pag. 198 e. q. s. — C. A. Böttiger, *Die Furienmaske,* Weimar 1801 pag. 114 e. q. s.

esse dixit, quae ex Apollonii Argonauticis cum his insulis coniuncta erat Harpyiarum fabulam libro intexuit. Quam ut Apollonius conformaverit paucis hoc loco iuvat adferre.

Argonautae ad Bithyniam adpulsi obviam fiunt Phineo, Agenoris filio, qui divinatione ab Apolline accepta male usus gravissimas dat poenas. Nam ut vitam agat diuturnam oculis privatus atque fame excruciatus, a deo est damnatus. Quotiens ad cibos capiendos accubuit, Harpyiae e loco superiore subito advolantes aut omnia abripiunt aut, si quid relinquunt, ita inquinant ut ne penitus fame pereat ad gustandum Phineus adduci possit. Ubi igitur Argonautas advenisse cognovit, Boreae filios, quippe a quibus se liberatum iri a deo acceperit, ut abigant Harpyias, orat atque obstestatur. Qui auxilium se laturos esse ita promittunt, ut non adversis diis id fore iureiurando ipsis confirmet. Iurato igitur Phineo cibi parantur. At vix ille gustavit, cum cito de caelo advolantes Harpyiae illos consumunt atque foetore relicto aufugiunt. Tum Boreae filii gladiis strictis eas persequuntur usque ad Plotinas insulas, ubi Iris Iove missa apparet Harpyiasque iurat seni non iam esse appropinquaturas. Propulsis autem ex Phinei domo ad eas usque insulas Harpyiis Boreae filii ὑπέστρεφον ἂψ ἐπὶ νῆα (Arg. II. 295), unde Στροφάδες illae vocari coeptae sunt.

Atque haec quidem est Apollonii de Harpyiis narratio; ad Maronis veniamus.

Troiani ad insulas Strophadas procella deiecti epulas parant occisis bubus atque capris sine custode circum pascentibus. At vix edere coeperunt, cum subito de montibus advolant Harpyiae cibisque adreptis sordibus omnia implent. Neque cum sub rupe occultati iterum mensas instruant, volucres illae famem eos pellere sinunt. Tum Aeneae iussu Troiani armis eas insectantur;[1]) quae, cum vulnerari non possint, effugiunt. Celaeno autem, una ex Harpyiis, ex alta rupe crimini iis dat quod caesis quae Harpyiarum essent bubus atque capris ipsas e patrio regno pellere conati sint; pro ea

[1]) haud recte Mirmontius Misenum III. 239 sq. ideo tuba cecinisse dicit ut ipse pelleret Harpyias; quem ab alta specula signum tantum dedisse quo audito socii invaserint in Aeneide aperte scriptum esse equidem video. cf. Mirmont. pag. 247.

iniuria eos, cum in Italiam pervenerint, non antea condituros esse urbem, quam *ambesas malis absumere mensas* fame coacti sint, praedicit.

Ex his igitur quae breviter exposui satis apparet Vergilii de Harpyiis narrationem cum Apollonii satis bene convenire; iam ad singula quaedam perveniamus.

Neque in Argonauticis neque in Aeneide Harpyiarum indicatur numerus; sunt tamen plures quam duae; etenim Apollonius Phineum dicit audisse strepitum catervae (εἰσαΐων ἐνοπὴν καὶ δοῦπον ὁμίλου, II. 194), apud Vergilium Strophadas incolunt *Celaeno Harpyiaeque aliae*, III. 211; *turba circumvolat polluitque*, ib. 234; Celaeno se vocat Furiarum maximam, non maiorem.[1])

Iam in iis quibus subito Harpyiae advolasse atque cibis aut direptis aut ita relictis, ut iam non possint edi, aufugisse dicuntur, inter utrumque poetam vix quidquam interest. De qua re haec in Aeneide scripta videmus:

III. 225 e. q. s.

at subitae horrifico lapsu de montibus adsunt
harpyiae et magnis quatiunt clangoribus alas.
diripiuntque dapes contactuque omnia foedant
immundo, tum vox taetrum dira inter odorem.

ib. 232 e. q. s.

rursum ex diverso caeli caecisque latebris
turba sonans praedans pedibus circumvolat uncis,
polluit ore dapes.

ib. 243 e. q. s.

. . . *celerique fuga sub sidera lapsae*
semesam praedam et vestigia foeda relinquont.

cf. Arg. II. 187 e. q. s.

ἀλλὰ διὰ νεφέων ἄφνω πέλας ἀίσσουσαι
Ἅρπυιαι στόματος χειρῶν τ' ἀπὸ γαμφηλῇσιν
συνεχέως ἥρπαζον. . . . .
. . . .
καὶ δ' ἐπὶ μυδαλέην ὀδμὴν χέον·

---

[1]) cf. Mirmont. pag. 246.

ib. 227 e. q. s.

. . . . . . ὧδ' αἶψα διηέριαι ποτέονται.
τυτθὸν δ' ἦν ἄρα δήποτ' ἐδητύος ἄμμι λίπωσιν,
πνεῖ τόδε μυδαλέον τε καὶ οὐ τλητὸν μένος ὀδμῆς·

ib. 267 e. q. s.

αἳ δ' ἄφαρ ἠύτ' ἄελλαι ἀδευκέες, ἢ στεροπαὶ ὣς
ἀπρόφατοι νεφέων ἐξάλμεναι ἐσσεύοντο
κλαγγῇ μαιμώωσαι ἐδητύος· οἱ δ' ἐσιδόντες
ἥρωες μεσσηγὺς ἀνίαχον· αἳ δ' ἅμ' ἀυτῇ
πάντα καταβρώξασαι ὑπὲρ πόντοιο φέροντο
τῆλε παρέξ· ὀδμὴ δὲ δυσάσχετος αὖθι λέλειπτο. [1]

Sed afferenda quaedam etiam videntur esse quae in describendis Harpyiis sunt Vergilii ingenio propria.

Apollonii Harpyiarum descriptio parum definita est ac certa. Qui nihil habet quod ad earum formam referri possit praeterquam quod volucres sunt (ὑπὲρ πόντοιο φέροντο, II. 271, διηέριαι ποτέονται, v. 227) atque canes Iovis (Διὸς κύνας, v. 289); cibos raptant γαμφηλῇσι, v. 188, quod de rostris fere intellegitur; advolant illae atque clangorem edunt (ἐσσεύοντο κλαγγῇ, v. 269) tamquam alites rapaces.

Vergilius vero addit plura; sunt ipsi Harpyiae obscaenae pelagi volucres (III. 241), virgineo vultu (v. 216), manus unguibus curvis instructas habent (v. 217), pedes uncos (v. 233), vocem diram (v. 228), pallorem ex fame (v. 217), corpus quod vulnerari non potest (v. 242). [2]

Ut confirmem quae censeo, in narranda Harpyiarum fabula Vergilium exemplum habuisse Argonautica, accedit quod in Heleni quod sequitur de fatis atque casibus itineris cursus vaticinio eum locum imitatus est Argonauticorum, ubi liberatus ab Harpyiis Phineus quae futura sint Argonautis praedicit. Quamquam enim quae et quomodo pericula vitanda sint, quos cursus flecti, quas oporteat iniri vias simili ratione Ulixem apud Homerum Circe docet, [3] parum considerate mihi videntur ii

[1]) non potui invenire qui ante Apollonium Harpyias quos relinquerent cibos inquinantes fingeret.

[2]) cf. Heynium.

[3]) cf. Od. XII. 37 e. q. s.

iudicare, qui locum hunc omnino ad Odyssiam composuisse Vergilium dicunt. Nam si excipias quae est de Scylla atque Charybdi descriptionem, quam ex Homero adumbratam esse nemo negaverit, in ceteris utrum potius secutus sit vix liquet. Quae sequuntur in Odyssia non inveniuntur:

III. 377 e. q. s.

pauca tibi e multis . . . .

. . . .

expediam dictis; prohibent nam cetera parcae
scire Helenum farique vetat Saturnia Iuno.

Quibus sane respondent haec Argonauticorum:

II. 311 e. q. s.

. . . οὐ μὲν πάντα πέλει θέμις ὔμμι δαῆναι
ἀτρεκές· ὅσσα δ' ὄρωρε θεοῖς φίλον, οὐκ ἐπικεύσω.

ib. 427.

καὶ δέ με μηκέτι τῶνδε παροιτέρω ἐξερέεσθε.[1])

Praeterea Aeneam Helenus hortatur, ut omni studio Iunonem placet atque praecipuo honore prosequatur (III. 436 e. q. s.); item Phineus Argonautis dat praeceptum ut Veneris implorent auxilium (II. 425).

V. De Aeneidos locis singulis cum Argonauticorum similitudine coniunctis.

Exposita ratione qua Apollonium secutus videtur esse Vergilius, primum in describendo Didonis amore, deinde in comparationibus instituendis, post in exponenda quae est de Harpyiis fabula, aliquot restant loci quos, quamquam in capita vix reduci possunt, cum exemplo utantur Argonauticis, non licet praetermittere.

Atque in describenda quam misit Aeolus tempestate, etsi Homerum imprimis secutus est Vergilius, quaedam etiam ab Apollonio habet.[2])

---

[1]) cf. Heinze, pag. 107, 1.

[2]) cf. Heinze, pag. 75.

Aen. I. 91.

praesentemque viris intentant omnia mortem.

Arg. II. 580.

. . . ὑπὲρ κεφαλῆς γὰρ ἀμήχανος ἦεν ὄλεθρος.[1]

Aen. I. 105.

insequitur cumulo praeruptus aquae mons.

Arg. II. 582 e. q. s.

. . . . . ἀνέδυ μέγα κῦμα πάροιθεν
κυρτόν, ἀποτμῆγι σκοπιῇ ἶσον·

Troianorum naves Cymothoe et Triton *detrudunt scopulo.* Aen. I. 145.

Portunus Mnesthei navem *euntem impulit.*
ib. V. 242.

Nympha *dextra discedens impulit altam puppim.*
ib. X. 246.

Unda πρύμνηθεν ἀνείρυσε τηλόθι νῆα πετράων.
Arg. II. 588.

Minerva Argo navem ἀντέσπασε πέτρης σκαιῇ, δεξιτερῇ δὲ ὦσε. ib. 600.

Thetis gubernaculum prehendit πλαγκτῇσιν ἐνὶ σπιλάδεσσιν ἐρύσσαι. IV. 930.

In extremo libro Alcinoi convivium Vergilium respexisse apparet.[2]) Velut ad Homeri imitationem Iopan citharoedum induxit. Cuius tamen de cantu quae dicit si cum Argonauticorum loco comparaveris, quo ut litem componat inter Idmonem et Idam Orpheus canens inducitur, Apollonium quoque auctorem fuisse facile concedes. Quamquam enim Iopas canendo aliud spectat atque Orpheus, tamen inter eam quam uterque delegit materiam canendam similitudinem quandam intercedere nemo non videt.

---

[1]) cf. Il. XV. 628; Od. V. 305.
[2]) cf. Od. VIII. 57 e. q. s.

Aen. I. 742 e. q. s.

hic canit errantem lunam solisque labores,
unde hominum genus et pecudes, unde imber et ignes.[1]

cf. Arg. I. 499 e. q. s.

. . . ἤειδεν . . . .
. . . ὡς ἔμπεδον αἰὲν ἐν αἰθέρι τέκμαρ ἔχουσιν
ἄστρα σεληναίη τε καὶ ἠελίοιο κέλευθοι·
οὔρεά θ' ὡς ἀνέτειλε, καὶ ὡς ποταμοὶ κελάδοντες
. . . . καὶ ἑρπετὰ πάντ' ἐγένοντο.

Matres familias exterritae huc illuc per tecta cursant atque iamiam ab hoste abstrahendae

amplexae . . tenent postes atque oscula figunt.

II. 490.

Quo iam Servius refert locum hunc Argonauticorum, *in quo inducitur Medea † patrem salutasse et domum relinquens*[2]) κύσσε δ' ἑόν τε λέχος καὶ δικλίδας ἀμφοτέρωθεν σταθμούς. IV. 26 e. q. s.

Quoniam ut auxilium ferret supplicibus verbis Iovem Anchises oravit, subito a deo missa de caelo stella labitur atque omnis eius via sulci instar quasi caelo impressi luce effulget.

II. 693 e. q. s.

. . . . *de caelo lapsa* . . . .
stella facem ducens multa cum luce cucurrit.
. . . . *tum longo limite sulcus*
dat lucem.

Alterum ignis aerii portentum effinxit poeta

V. 525 e. q. s.

. . . *volans liquidis in nubibus arsit harundo*
signavitque viam flammis . . . . *caelo*
ceu saepe refixa / transcurrunt crinemque
volantia sidera ducunt.

[1]) cf. Verg. Ecl. VI. 31 e. q. s. cf. Skutsch, *Aus Vergils Frühzeit,* pag. 45 e. q. s.

[2]) ita ediderunt Georgius Thilo et Hermannus Hagen.

Ipsis quoque Argonautis dea stellam mittit ut faustae navigationis signum.

IV. 296 e. q. s.

. . . . ἐπιπρὸ γὰρ ὁλκὸς ἐτύχθη
οὐρανίης ἀκτῖνος.

cf. ib. III. 1376 e. q. s., ubi Iason in viros agro natos inruens cum stella ignea comparatur.

οἷος δ' οὐρανόθεν πυρόεις ἀναπάλλεται ἀστὴρ
ὁλκὸν ὑπαυγάζων, τέρας ἀνδράσιν, οἵ μιν ἴδωνται
μαρμαρυγῇ σκοτίοιο δι' ἠέρος ἀΐξαντα.

Aen. III. 207.

vela cadunt, remis insurgimus.

ib. 560.

eripite, o socii, pariterque insurgite remis.

V. 189.

nunc nunc insurgite remis.

cf. Arg. II. 663.

ἐπερρώοντ' ἐλάτῃσιν. cf. IV. 504, 1631.

Aen. III. 384,

lentandus remus in unda.

cf. Arg. II. 593.

ἐπεγνάμπτοντο δὲ κῶπαι.

Aen. III. 567.

spumam elisam.

cf. Arg. IV. 1236.

ἐπιβλύει ὕδατος ἄχνη.

Aen. IV. 363 e. q. s.

huc illuc volvens oculos, totumque pererrat
luminibus tacitis.

Eodem sensu Arg. II. 48 e. q. s.

σῖγα δ' ἄπωθεν / ἑστηκὼς εἰς αὐτὸν ἔχ' ὄμματα.

Aen. IV. 30.

. . . . . . *sinum lacrimis implevit obortis.*

cf. Arg. III. 803.

δεῦε δὲ κόλπους / ἄλληκτον δακρύοισι.

In ludis funebribus in Archisae patris honorem ab Aenea institutis quamquam imprimis Iliadis librum XXIII. Vergilium secutum esse constat, atque ita, ut quasi certasse cum poetarum principe videatur, tamen Apollonium quoque exemplar habuisse ex iis quae sequuntur facile apparet. Ac primum quidem in certamine navali:

Aen. V. 124 e. q. s.

est procul in pelago saxum . . . .

. . . .

tranquillo silet immotaque attollitur unda
campus.

Vestes posuerunt Argonautae λείῳ ἐπὶ πλαταμῶνι, τὸν οὐκ ἐπέβαλλε θάλασσα κύμασι. Arg. I. 365.

Tum in pugilatu describendo, in quo, cum non tantum Homerum,[1] sed etiam Apollonium[2] atque Theocritum[3] auctores haberet,[4] placuisse quodammodo sibi videtur Vergilius.

Aen. V. 421.

haec fatus duplicem ex umeris reiecit amictum.

Arg. II. 32.

. . . . . . ὁ δ' ἐρεμνὴν δίπτυχα λώπην

. . . .

καββαλε.

Aen. ib. 426.

constitit in digitos . . . . arrectus uterque.[5]

Arg. ib. 90.

ἐπ' ἀκροτάτοισιν ἀερθείς, / . . . πόδεσσι τανύσσατο.

Aen. ib. 429.

immiscentque manus manibus.

Arg. ib. 78.

χερσὶν ἐναντία χεῖρας ἔμιξεν.

---

[1]) cf. Il. XXIII. 651 e. q. s. — [2]) cf. Arg. II. 1 e. q. s. — [3]) Idyll. XX (XXII.). — [4]) cf. Heinze pag. 158.

[5]) cf. Servium ad h. l.: *est hic totus locus de Apollonio translatus.*

Palinuro navis gubernatori in summa maris tranquillitate Somnus apparet eumque consopitum in aquam proicit (Aen. V. 854 e. q. s.). In ipsa narratione utrum Vergilius ante oculos habuerit Homerum, a quo Phrontis, Menelai gubernator, dicitur in medio cursu occidisse (Od. III. 278 e. q. s.), an Apollonium qui navis rectorem morbo brevi mortuum esse narrat potest dubitari; at in ea exornanda certo secutus est Argonauticorum locum ubi draconem vellus aureum custodientem Medea consopit.

Aen. V. 854 e. q. s.

ecce deus ramum Lethaeo rore madentem
vique soporatum Stygia super utraque quassat
tempora, cunctantique natantia lumina solvit.

cf. Arg. IV. 156 e. q. s.

ἡ δέ μιν ἀρκεύθοιο νέον τετμηότι θαλλῷ
βάπτουσ' ἐκ κυκεῶνος ἀκήρατα φάρμακ' ἀοιδαῖς,
ῥαῖνε κατ' ὀφθαλμῶν·

Ut draco a Medea cantu atque herbis sopitur, ita Cerberus Aeneae adeunti minitans a Sibylla offa soporifera placatur.

Aen. VI. 419 e. q. s. — Arg. IV. 145 e. q. s.

Conferas haec:

ille . . . . . . immania terga resolvit
fusus humi, totoque ingens extenditur antro.

Draco δολιχὴν ἀνελύετ' ἄκανθαν·

. . . .

. . . . . . γένυν δ' αὐτῇ ἐνὶ χώρῃ
θῆκεν ἐρεισάμενος· τὰ δ' ἀπείρονα πολλὸν ὀπίσσω
κύκλα πολυπρέμνοιο διὲξ ὕλης τετάνυστο.

Iussu Sibyllae Aeneas, antequam ad inferos admittatur, mactatis hostiis deos quos par est veneratur. Qua in re occurrunt Odyssiae libri XI. sacrificia quae ad manes evocandos ab Ulixe fiunt, neque, cum totus fere Aeneidos liber sextus ad Homeri necyiam quae vocatur expressus sit, de iis saltem cogitasse Vergilium audeo negare; accuratius tamen perlegenti mihi Argonauticorum libri III. locum qui est de Iasonis sacris

ad Hecaten placandam factis, quin eum imitandum sibi proposuerit Maro, non dubito. Namque ut praetermittam quod de sacrificio Hecatae facto non fit nominatim mentio nisi in Aeneide et Argonauticis, Aeneae atque Iasonis sacra eadem fere sequuntur prodigia.

Aen. VI. 255 e. q. s. — Arg. III. 1211 e. q. s.

iuga coepta moveri / silvarum.
πίσεα δ' ἔτρεμε πάντα κατὰ στίβον.
Ipsa Hecate invocata *adventat.*
. . . . ἣ δ' ἀίουσα
κευθμῶν ἐξ ὑπάτων δεινὴ θεὸς ἀντεβόλησεν
ἱροῖς Αἰσονίδαο.
visaeque canes ululare per umbram.
ὀξείῃ ὑλακῇ χθόνιοι κύνες ἐφθέγγοντο.

Accedit quod illa apud utrumque poetam extrema nocte apparent:

primi sub lumina solis et ortus.
. . . . ἤδη δὲ φόως νιφόεντος ὕπερθεν
Καυκάσου ἠριγενὴς Ἠὼς βάλεν ἀντέλλουσα.

Quae sacra Aeneas facit in ipsius Averni aditu. Qui ita describitur:

spelunca alta . . . .
. . . . *tuta lacu nigro nemorumque tenebris,*
quam super haut ullae poterant impune volantes
tendere iter pennis: talis sese halitus atris
faucibus effundens super ad convexa ferebat.
VI. 237 e. q. s.

Simile Apollonius sibi Eridani fluvii finxerat ostium.

Arg. IV. 597 e. q. s.

. . . . ἣ (λίμνη) δ' ἔτι νῦν περ
τραύματος αἰθομένοιο βαρὺν ἀνακηκίει ἀτμόν,
οὐ δέ τις ὕδωρ κεῖνο διὰ πτερὰ κοῦφα τανύσσας
οἰωνὸς δύναται βαλέειν ὕπερ· ἀλλὰ μεσηγὺς
φλογμῷ ἐπιθρώσκει πεποτημένος.

Aen. VII. 37 e. q. s. Erato musam invocat Maro:

nunc age, qui reges, Erato, ...

. . . . .

tu vatem, tu, diva, mone. [1])

Eadem carminis amatorii musa invocata librum tertium Apollonius incipit. III. 1.

εἰ δ'ἄγε νῦν, Ἐρατώ, παρά ϑ' ἵστασο καί μοι ἐνίσπες.

Aen. VII. 641 e. q. s. copiae enumerantur Turni. Atque cogitavit Maro aut de navium indice illo Homerico (Il. II. 484 e. q. s.), aut de heroum tabula ab Apollonio tradita (Arg. I. 18 e. q. s.). [2])

Inter munera quae Aeneae nomine Ilioneus offert Latinorum regi erat sceptrum quod manu tenere solebat Priamus

cum iura vocatis / more daret populis. VII. 246.

Alcinous, Phaeacum rex, sententiam laturus, utrum ad patrem mittatur Medea an apud Iasonem maneat, scipionem tenet aureum

. . . . ᾧ ὕπο λαοὶ
ἰϑείας ἀνὰ ἄστυ διεκρίνοντο ϑέμιστας.
IV. 1176 e. q. s.

Cervo quem mansuefecerat Silvia, Turni soror, ab Ascanio sagitta interfecto Latini rustici contra advenas arma irati capiunt. Iam ipsa Allecto e summo tecto bellicum canit atque horrendum tuba edit sonum.

Aen. VII. 514 e. q. s.

. . . . protinus omne
contremuit nemus et silvae insonuere profundae;

---

[1]) reprehenderunt poetam interpretes in hoc quod parum apte Erato invocaverit; dicunt enim Calliopen musam, utpote historicorum patronam, invocari debuisse. At poni Eratus nomen pro cuiusvis musae recte iam interpretatus est Servius.

[2]) cf. Heinze pag. 359, 1: *Virgil steht ihm (dem Apollonius) näher als dem homerischen Dichter, insofern auch er das Ankommen der Führer, nicht ihr Dasein schildert.*

audiit et Triviae longe lacus, audiit amnis
sulphurea Nar albus aqua fontesque Velini,
et trepidae matres pressere ad pectora natos.

Quos versus si cum iis quos infra adferam Apollonii versibus contuleris, imitatorem facile agnoveris. Iason et Medea a vellere aureo rapiendo deterrentur dracone ita stridente ut longe lateque terrorem iniciat.

Arg. IV. 129 e. q. s.

. . . . ἀμφὶ δὲ μακραὶ
ἠιόνες ποταμοῖο καὶ ἄσπετον ἴαχεν ἄλσος.
ἔκλυον οἳ καὶ πολλὸν ἑκὰς Τιτηνίδος Αἴης
Κολχίδα γῆν ἐνέμοντο παρὰ προχοῇσι Λύκοιο,
. . . .
δείματι δ' ἐξέγροντο λεχωίδες, ἀμφὶ δὲ παισὶν
νηπιάχοις . . . . χεῖρας βάλον ἀσχαλόωσαι.

Aen. VII. 526. *horrescit strictis seges*[1]) *ensibus.*
ib. XI. 601. *late ferreus hastis / horret ager.*
Arg. III. 1354 s. φρίξεν . . . δούρασι . . . τέμενος.
cf. Il. XIII. 339, ubi horret pugna hastis: ἔφριξεν δὲ μάχη ἐγχείῃσι μακρῇς.
cf. Enn. trag. 177 *horrescunt tela.* — Ann. 385 *horrescit telis exercitus.* — Sat. 15 *campus horret.*

Allecto quoniam quod iam voluerat inter Latinos atque Troianos bellum excitavit, ad inferos revertitur. Locum ubi descenderit Furia Vergilius dicit esse vallem Ampsancti quae vocetur. Atque in illa describenda Acherusias fauces quales depinxerat Apollonius haud dubie expressit.[2])

Aen. VII. 565 e. q. s.

amsancti valles: densis hunc frondibus atrum
urguet utrimque latus nemoris, medioque fragosus
dat sonitum saxis et torto vertice torrens.

---

[1]) seges hic dicitur pro agro (τέμενος).

[2]) Heinze hoc ipso usus exemplo pag. 246: *Landschaftliche Schilderungen gibt Virgil nur wenig; aber die wenigen ausführlichen sind Imitationen.*

hic specus horrendum et saevi spiracula Ditis
monstrantur, ruptoque ingens Acheronte vorago
pestiferas aperit fauces.

cf. Arg. II. 737 e. q. s.

. . . . ἵνα τε σπέος ἔστ' Ἀΐδαο
ὕλῃ καὶ πέτρῃσιν ἐπηρεφές, ἔνθεν ἀυτμὴ
πηγυλίς, ...
. . . .
σιγὴ δ' οὔποτε τήνγε κατὰ βλοσυρὴν ἔχει ἄκρην,
ἀλλ' ἄμυδις πόντοιό θ' ὑπὸ στένει ἠχήεντος,
φύλλων τε πνοιῇσι τινασσομένων μυχίῃσιν.
ἔνθα δὲ καὶ προχοαὶ ποταμοῦ Ἀχέροντος ἔασιν.

Mare tempestatum vi agitur atque turbatur
saevos ubi Orion hibernis conditur undis.
Aen. VII. 719.

cf. IV. 52: *dum pelago desaevit hiems et aquosus Orion.*

cf. Arg. I. 1201 e. q. s.

. . . . εὖτε μάλιστα
χειμερίη ὀλοοῖο δύσις πέλει Ὠρίωνος.

In Vulcani officina et alia Cyclopes fabricantur opera bellica et fulmen Iovis.

Aen. VIII. 427 e. q. s.

his informatum manibus iam parte polita
fulmen erat, toto genitor quae plurima caelo
deicit in terras, pars imperfecta manebat.
tris imbris torti radios, tris nubis aquosae
addiderant, rutili tris ignis et alitis austri:
fulgores nunc terrificos sonitumque metumque
miscebant operi flammisque sequacibus iras.

Ante oculos habuit poeta atque expolivit Argonauticorum locum quo vestis purpurea qua indutus est Iason describitur intextis Cyclopum fulmina Iovi perficientium imaginibus.

Arg. I. 730 e. q. s.

ἐν μὲν ἔσαν Κύκλωπες ἐπ' ἀφθίτῳ ἥμενοι ἔργῳ,
Ζηνὶ κεραυνὸν ἄνακτι πονεύμενοι· ὃς τόσον ἤδη
παμφαίνων ἐτέτυκτο, μιῆς δ' ἔτι δεύετο μοῦνον
ἀκτῖνος, τὴν οἵγε σιδηρείης ἐλάασκον
σφύρῃσιν, μαλεροῖο πυρὸς ζείουσαν ἀυτμήν.

Dum abest Aeneas, Turnus cum exercitu ad Troianorum castra accedit; qui cum ad pugnandum non procedant, classem eorum ille conatur accendere; at naves Cybele intercedente singulae mutantur in singulas deas marinas. De qua fabula haec scripta videmus apud Servium: *figmentum hoc, licet poeticum sit, tamen quia exemplo caret, notatur a criticis; unde longo prooemio excusatur.* cf. Serv. ad Aen. IX. 81. Neque qui eam reprehenderint post Servium defuerunt. In quam vituperationem, utrum iusta sit necne, ne deflectere videar, nolo inquirere. Sed non omnino caruit poeta exemplo. Etenim in Argonauticis explanato a Peleo, quod a nymphis acceperant, oraculo Minyae navem per Libyae loca deserta umeris tulisse dicuntur. Iam Vergilius quam narraturus est fabulam cum tamquam absurdam atque epica gravitate vix dignam esse sentiat, haec praemittit:

IX. 77 e. q. s.

Quis deus, o Musae, tam saeva incendia Teucris
avertit? tantos ratibus quis depulit ignes?
dicite. Prisca fides facto, sed fama perennis.

Apollonium secutus, ut qui fabulam quae est de navi umeris gestata omnem prorsus fidem excedere sentiens Musas eam tradidisse dicat.

IV. 1379 e. q. s.

Μουσάων ὅδε μῦθος· ἐγὼ δ' ὑπακουὸς ἀείδω
Πιερίδων, καὶ τήνδε πανατρεκὲς ἔκλυον ὀμφήν,
ὑμέας·

In sollemnibus funebribus describendis lib. XI. vv. 184 e. q. s. quamquam Homerum imprimis imitatur Vergilius, qui sequitur locum cum Apollonio tantum habet communem.

ib. 188 e. q. s.

ter circum accensos cincti fulgentibus armis
decurrere rogos.

cf. Arg. I. 1059 e. q. s.

τρὶς περὶ χαλκείοις σὺν τεύχεσι δινηθέντες
τύμβῳ ἐνεκτερέιξαν.

Restat ut pauca dicam de Aeneae aditu ad Carthaginiensium urbem, ut qui locus primo aspectu simillimus videatur esse et Argonauticis et Odyssiae.[1]) Atque ut Aeneam sociumque eius ad urbem Didonis procedentes nube Venus involvit (Aen. I. 411 e. q. s.), ita Iasonem eiusque socios Iuno aëre saeptos ad Aeetae regiam ducit (Arg. III. 210 e. q. s.).[2]) Item Ulixem ad Alcinoum pergentem cava nube Minerva cingit (Od. VII. 14 e. q. s.).

Iam ipsum qui sequitur Aeneae ad urbem et Didonem aditum recte mea quidem sententia dicunt ad Odyssiam adumbratum esse. Etenim Aeneae Venus, Ulixi Minerva obviam se offert, quod Argonauticorum narrationi deest. Priusquam ad Didonem pervenit, multae Aeneae occurrunt res admiratione dignae; pari modo fit in Odyssia. Notandum est etiam quod has res intuentur et Aeneas et Ulixes nube nondum dissoluta. Contra in Argonauticis singulis non interiectis Iason atque socii ad Aeetae regiam veniunt quam nube sublata admirantur. Accedit quod illi regiae descriptioni respondet ea quae est de domo Alcinoi; in Aeneide templum, non regia describitur.

Atque haec fere ut indagarem mihi contigit. Neque fateri dubito in exploranda hac re satis me intellexisse, quam sit saepe difficile probare hoc illudve ex Argonauticis Vergilium deprompsisse. Quamquam enim negari non potest communi imitatorum, qui formam, non ingenium exemplaris

[1]) cf. Heinze pag. 118 e. q. s., ubi tamen hi loci alia considerantur ratione eaque altiore.

[2]) cf. etiam IV. 648, ubi Argonautarum navem Iuno nebula tegit.

propositi aequare soleant, rationi succubuisse poetam, atque monumenta vetustatis, imprimis poetarum Alexandrinorum, cum ita tum ferret consuetudo, undique eruisse, quibus collectis artificiosum opus conflaret, tamen multa ex iis quae potuerit imitari repudiasse, multa etiam ex suo ingenio addidisse Maronem eum qui obiter etiam quos congessi locos comparet non praeteribit. Qua de causa, ne nimium de Vergilii ingenio detrahere viderer, quosdam locos adeo mutatos ut exemplar vix agnoscas praetermisi.

Accedit quod non pauca inveni quae tantam cum Argonauticis habent similitudinem ut ad verbum in linguam Latinam videantur conversa esse, quae tamen sunt talia, ut nemo non ultro iisdem uteretur. Si quis igitur singula huius disputationis capita perlegens etiam alios locos omittendos non fuisse censeat, ne ea quae sint Maronis Apollonio tribuat illum monuerim.

Vita.

Natus sum Conradus Conrardy in Magni Ducatus Luxemburgensis oppido Wiltz a. d. XVI. Kal. Jul. anno MDCCCLXXIII. patre Jacobo, matre Maria de gente Fatz, quam immatura ereptam esse morte doleo Litterarum elementis imbutus anno LXXXVII. M. Fallize viri admodum reverendi fidei commissus in civitates foederatas Americae Septemtrionalis emigravi ibique paucis annis post civitatem adeptus sum. Anno LXXXIX. Collegium Josephinum Columbense adii, cui reverendissimus Josephus Jessing tunc praeerat. Studiis ibi absolutis, postquam anno MCM. sacerdotio initiatus sum, Monasterii Guestfalorum per tres annos, Friburgi per bis senos menses studiis potissimum philologis operam dedi. Docuerunt me viri clarissimi doctissimi:

Monasterii: Andresen, Cortner, Hosius, Jiriczek, Kappes, Schroeder, Schwering, Sonnenburg, Spicker, Stahl, Storck.

Friburgi: Piccardt, Manser, Michaut, Michel.

Seminarii philologi Friburgi socius ordinarius fui per bis senos menses, Monasterii per annum extraordinarius, atque sodalium ordinariorum exercitationibus ut interessem summa liberalitate permiserunt qui seminario praeerant viri doctissimi.